S VII b 234

242

N.D.g.
884

Bibliothek d. Ev. theol. Seminars · Herborn/Dillkrs.

S VII b 234

242

N.D.g.
884

Bibliothek d. Ev. theol. Seminars · Herborn/Dillkrs.

Aduersus cuiusdam Sacramentarii falsam criminationem, iusta defensio Ioachimi Vuestphali, ministri Ecclesiæ Hamburgensis, in qua & Eucharistię causa agitur.

Matthæi 5.

Beati estis cùm maledixerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum aduersus uos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis.

FRANCOFORTI EXCVDEBAT PETRVS BRVBACHIVS, ANNO 1555.

Adverbus cunctandum Sacratiss.

Syncerę doctri

NAE, FIDEI, ET EXI;

MIAE PIETATIS VIRO ALE-xandro Bruchsalio amico suo chariſsimo

S. D.

VTum iniqua ferè ſint hominum iudicia de aliorum laboribus, & in primis ſcriptа publica multos habeant cenſores, nuſq̃ tamẽ tam malignè iudicant, quàm de ijs, quibus pro aſſerenda ueritate, mendacis doctrinæ defenſoribus contradicitur. Nemo enim ſpargit tam manifeſtè falſa & impia dogmata: nemo cauſam tam malam agit, qui non optimam agere & diuina oracula propugnare uideri uelit, ac non moleſtiſsimè ferat, ſua placita uel in dubium reuocari, uel uanitatis argui, maximè ſi accedat ingenij & eloquentiæ fiducia, item exiſtimationis & authoritatis opinio: Tum enim ſe ab omni erroris ſuſpicione, quaſi longè ſupra mortalium conditionem po-

sitos, exemptos esse, & sua placita autentica & inuiolata haberi postulant, de quibus etiam dubitare, & rationem aliquam deposcere scelus sit. Equidem experior in Sacramentarijs, & cuius experiri licet, si uelit periclitanti saluti animarum subuenire, quàm pertinaces errores suos tueantur, quàm oderint acerbè, quàm contumelioſè perſequantur, si quisquam dissentire, ac semel recepta & probata ab illis, oppugnare se profitcatur. Volunt illa haberi sacrosancta & indubitata: quicquid uerò opponitur solidum, firmum, & inexpugnabile, suffodere & conuellere moliuntur. Cõsiderare est operæ precium, quibus fundamentis superstruant, quibus columnis sua fulciant. Tropũ in quo collocant totius ædificij firmitatem, fatentur ipsi architecti, esse humanum inuentum & somnium. Nam in Batani cuiusdam epistola reperta est illa margarita, quòd in uerbis Christi, EST, accipiatur pro significat: & confirmata est inuentio reuelatione uisa per somnium, & cognita ex uitro, de quo dubium est, ater ne, an candidus fuerit. Columnæ & fulcra adhibentur ex arena planè ruinosa: ratiunculæ sumptæ ex physica: curiosæ et perplexæ quæstiones plenæ absurditatibus & blasphemijs: stultæ rationis argutiæ & meræ ludibria: scripturæ depravatæ & contortæ violenter. Quam uim, quam speciẽ habent argumentorũ, quid in his

cohæret? Christus ascendit in cœlũ: Corpus nõ potest uno tẽpore esse in multis locis: Corpus Christi est ad dexteram Dei alligatũ uni loco. Caro nõ prodest quicquam. Cùm dixerint: Ecce hic Christus, ecce illic, nolite credere. Non nouimus Christum secundum carnem, Christus ex Maria uirgine natus, à nobis accepit carnem.

Ergo corpus Christi non adest, non dispensatur, nec editur in cœna.

Congerant omnes suas curiosas quæstiones, sophismata, absurda, cauillationes, blasphemias: equè bona ac uera consequentia, ut ex præmissis inde deducetur. Si ideo aliquid ueri ex his consequi quispiam contendet, & nostræ doctrinæ derogabit fidem, quia pro demonstrationibus opponuntur à doctis, à sapientibus, à facundis, & ualde ab ipsis urgentur magno apparatu: & quia multis uidentur inuicta & irrefutabilia, quid tandem in tota religione Christiana reliquum erit satis certum & firmum, ubi homines suæ sapientiæ indulgentes non minus pulchra & plausibilia rationi excogitare possint, quæ hæresis non perrumpet & triumphabit?

Nos uerò fide innitimur simplicibus & claris uerbis, ut ea descripta sunt magno consensu & uniformiter usurpata ab Euangelistis & Apostolo Paulo: oppositis scripturis addimus interpretatio

nes natiuas, proprias, minimeq; coactas, quas ser-
monis proprietas, contextus & series orationis,
præcedentia & sequentia afferunt & compro-
bant: ac bona conscientia affirmamus, nullum lo-
cum scripturæ uerè repugnare nostræ doctrinæ,
si rectè consideretur, & adhibito candore expli
cetur dextrè, & uiolentia omnis ac studium ca-
uillandi remoueatur. Quod attinet ad disputatio-
nes intricatas, ad quæstiones & absurditates, qui-
bus offenditur rationis iudicium, secundum Apo-
stoli consilium procul eas relegamus à mysterijs
positis extra humanæ sapientiæ forum: fide acqui
escimus ueritati & omnipotentiæ filij Dei: Insisti-
mus his certissimis principijs Theologiæ: Eum
qui loquitur esse ueracem & omnipotentem: o-
mnia illi esse possibilia: naturæ leges nihil dero-
gare aut præscribere illius potentiæ: efficere ip-
sum posse multo maiora, quàm adsequatur omnis
hominum captus: uerè etiam esse, ac uelle præstare
& facere, ut sint, quæ esse dicit. Præterea pro no-
bis stat consensus ueterum: nusquam in suis scri-
ptis negant præsentiam & sumptionem corporis
& sanguinis Christi. sed summa concordia affir-
mant. Si pauca quædam dicta contraria esse uiden
tur nostræ sententiæ, aut si qua sunt obscura et am
bigua, contrà aliunde proferri possunt permulta,
quæ satis perspicua, nihil habent ambiguitatis.

Hæc

Hæc sunt in summa, quæ in cõtrouersia cœnæ Domini uiri præstantißimi opposuerunt Sacramentarijs: his armis instructi, strenuè tutati suum locum sanam doctrinam Ecclesiæ defenderunt: Eadem à me urgentur, nihil affero nouiut in alijs curæ mihi est retinere doctrinam congruentem cum canonica scriptura, ita sententiam de Sacramento communionis, acceptam à præceptoribus, consentaneam uerbo Dei, retinere & tueri cupio. Satis quidem erat scriptum, satis refutatus error: fateor fuperuacaneum esse plura scribere post tantos uiros, si omnia extarent perscripta latino sermone, & omnibus suppeteret copia legendi libros editos ante annos complures, si non ubiq; periclitaretur boni, si non longè lateq; pergerent aduersarij sua extendere, & multos circumuentos abducere in suas partes. Non desinunt ab alijs dictata renouare, & ingerere tum auribus, tum oculis: induunt alias formas, alios colores, addunt insuper pleraque multo deteriora, quàm acceperunt à suis magistris.

Præsens igitur periculum in aciem euocat positos ad custodiam Ecclesiæ, ut ab alijs dicta & scripta repetita, pro suo quisq; dono & modo proferant, explicent, & acuant. Non enim causa est, cur posteri, depositis armis, pugnare desistant, uel pugnent remißius, eo quòd maiores dimican-

do fortiter hostes repressérint. Sed in simili aut etiam grauiori periculo, eandem habent causam dimicandi, quam illi habuerunt, si ab illis iustè possessa & defensa bona, hostiles copiæ inuadere, & iniustè eripere uelint. Acriter Episcopi uigilantes, olim uoce & scriptis restiterunt hæreticorum cauteruis, insidijs & oppugnationibus, an propterea, si nunc repullulent oppressæ hæreses, non est contra hæreticos pugnandum? Hoc quidem postulant, atque ita sese parant Sacramentarij, ne quis prodeat in certamen, ut nemine obsistente, quoslibet pertrahant in sua castra. Volunt sibi liberum esse, sua quàm latissimè dilatare, nemo uerò debet contrà arma inferre, imò ne uno quidem uerbo contrà hiscere. Mouent me multæ rationes, cur putem dogma Berengarij ubiq; inualescens oppugnandũ esse. Quòd si quis arbitretur se iustiores habere causas, quæ aliud suadeant, illi quidem monenti meliora, ut decet, facilè obtemperabo. Quæ sint tempora, quid requirant, quæ sint dissidia, quæ offendicula, non tam sum incogitans aut negligens præsentium rerum, ut non attendam. Verùm haud scio, an ideo desungendum sit tantùm una parte, commissi officij, & doctrina rectè tradenda, altera autem posthabenda, ut contradicentibus ueritati non sit obnitendum, quum doctrina non possit integra conseruari sine defensione: & tum

ita

ita bonam rationem suæ administrationis Ecclesiastæ sint reddituri, quæ Deo probetur. Quò deuenisset incolumitas Christianæ fidei priscis temporibus, si Episcopi propter pericula, turbas & scandala, quieti & otiosi spectatores permisissent hæreticis licentiam grassandi, & liberè longius progrediendi? Non sum nescius, modum esse oportere, & tandem aliquem finem in concertationibus. Neque tamen ideo conuenit in alteram partem peccare, ut neque moderatæ & necessariæ dimicationes suscipiantur pro Dei gloria & salute animarum.

Quòd si quisquam existimet me imparem esse causæ, & longè inferiorem aduersarijs: si quispiam etiam illis assentitur, nos indoctos & parum idoneos esse patronos, qui Ecclesiis Saxonicis sint dedecori, ut isti nos gloriosè despiciunt, ab eo hoc humiliter exoratum uelim, ut pro suis donis instructior pugnam capessens, præclariorem nauet operam, maiusq; decus fortiter pugnando reportet, cumq; animo suo paulisper reputet, attendendum esse, non quis pugnet, sed pro qua causa, cuius Domini imperio, sub cuius signis, quibus urgentibus periculis, quibus armis, quo fine, qua fide & diligentia decertetur: non gregario militi, dignitate, robore, et prudentia inferiori abijcienda esse arma, eò, quòd alij siue ueterani, siue duces antecel-

lent peritia & fortitudine, & rem maiori cum laude gerant. Conscius meæ imbecillitatis intelligo, quàm me infantem & obscuri loci hominem, superent eloquentia & authoritate: uerùm utcunque his rebus sint superiores, causa tamen bona victrice, me futurum superiorem confido. Oppugnata est antehac omnibus machinis, nondum tamen expugnata. Nihil illis detraho, concedo esse magnos, sed multò maior est ueritas, multò maior Deus ueritatis & iusticiæ defensor & uindex. Habeatur aliquis maximus in oculis hominum, in regno Dei minimus est, iudice Christo, quisquis uel minimum iota immiuerit aut uiolauerit de uerbo Dei. Excelso loco sunt Angeli, & magno in honore: atqui si angelus de cœlo aliud docuerit, quàm cum doctrina filij Dei consentiat, anathema sit.

Quoniam igitur publica scripta subeunt multorum iniquas censuras, & nullis perinde opus sit defensoribus, quàm quibus refutantur mendacia, statui delegi optime Alexander, cui hanc meam apologiam dedicarem, propter eximiam tuam integritatem: aliquot annos uersato in media Babylone, studio tibi fuit cognoscere salutarem doctrinam positam super fundamento Prophetarum & Apostolorum, quod est Christus, & ueræ Ecclesiæ Dei te adiungere. Inter uarias sectas & multiplices errores

res, spiritu Dei te gubernante, incontaminatum te seruasti, & ita uitasti Charybdim, ne incidens in Scyllam, in fide naufragus iacturam salutis tuæ faceres. Congressus cum Papistis, Anabaptistis, Sacramentarijs, & alijs sectis, sæpius profligasti illorum errores: nonnullos ex seruitute Antichristi abduxisti, nonnullis causisti rectam uiam monstrando, et sedulò monendo, ne liberati, grauiori iugo iterum implicarentur, eleemosynis tuis iuuisti egenos: constitutis in periculis alterum quendam Abdiam te præstitisti. Declarat hæc tua pietas, quantum me iuuare poßis in mea militia. Quare hoc meum scriptum cæteroſq; meos labores & certamina tibi commendo.

Fortaße autem mirum aliquibus uidebitur, me in una parte huius scripti de hoc pugnare, quòd Sacramentarij nõn sentiant cum nostris Ecclesijs, etiamsi id se facere prætexant. Ego uerò ex animo gratularer illis, si uerè idem nobiscum sentirent de cœna Domini: cederet illa consensio tam multis in bonum, quàm dissensio quàm plurimis nocet. Iam uerò uerbis præse ferunt, ac si in eadem nobiscum essent sententia, & tamen scribunt quæ πανσῶν à nostra sententia dissonant. His diebus, egregius aliquis Sacramentarius dedit publicam confeßionem, in qua id agit sollicitè, ne uideatur suam sententiam mutasse, & offirs

mat se persistere in eo, quod antè sensit & docuit, Corpus Christi non adesse substantialiter in cœna, demonstrationis loco adducens, quòd Christus ex Maria uirgine carnem assumpsit. Alij itidem satis se detegunt, quantumuis astutè sese occultent, & in Apostolos Christi se transfigurent, ut facilè fit cognitos uitare, & positas insidias effugere, ne thesauro æterno salutis nos depræ dentur. Spiritus sanctus efficiat & excitet in nobis piam prudentiam, ut simus prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Bene in Christo Iesu ualere te opto. Hamburgi die sexto Iulij. Anno. 1555.

Tuus Ioachimus
VVestphalus.

D. Iustinus MARTYR, APOLOgía II. pro Christianis.

Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν, ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα, καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν διὰ εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνης τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα εἶναι δεδιδάγμεθα. Οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν ἐν τετάχθαι αὐτοῖς διὰ Ἰησοῦν, λαβόντα ἄρτον, εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν. Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἀνάμνησίν μου, τοῦτέστι σῶμά μου. καὶ τὸ ποτήριον ὁμοίως λαβόντα καὶ εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν, Τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου.

Hoc est.

Non enim ut uulgarem panem, & uulgare poculum hęc sumimus: sed quemadmodum per uerbū Dei caro factus Iesus Christus seruator noster, carnē & sanguinē pro salute nostra habuit: sic etiam per uerbum precatiōis & gratiarū actionis, sacratam ab ipso alimoniam, quæ mutata nutrit nostras carnes & sanguinem, illius incarnati Iesu carnē & sanguinem esse didicimus. Nam Apostoli in suis scriptis, quę uocātur Euangelia, sic sibi mandasse Iesum tradiderunt, sumpto pane actisq; gratijs dixisse: Hoc facite in mei memoriam: Hoc est corpus meum. Actisq; gratiis dixisse: Hic est sanguis meus.

Aduersus cu=

IVSDAM SACRA= MENTARII FALSAM CRIMI= nationem, iusta defensio Ioachimi Vuestphali, ministri Ecclesiæ Hamburgen= sis, in qua & Eucharistiæ cau= sa agitur.

HOC anno diuulgauit contra me Sacramentarius quidam maledicum scriptum, plenum falsissimis accusationibus, cõuicijs, calumnijs & amarulentis sarcasmis, in quo singulare quoddam specimen præbuit charitatis, modestiæ, & eius uirtutis, quæ Græcis dicitur πραότης, quam uerbis præ se ferre ac prædicare Sacramentarij solent. Declarauit in hac uirulenta insectatione, cõ modestè, quàm humiliter, & sobriè de se sentiat, alios uerò, præcipuè eos

qui istorum hæresi contradicunt, magno superciliō è sublimi despiciat. Suo iudicio doctus est, sapiens, sobrius, sanus, pacificus: quisquis uero se opponere audet errori Zuingliano, indoctus est, stultus, temulentus, insanus, turbulentus, & quid non? Voluit nimirum in me seuerè exemplū statuere, ne quis posthac ipsum aut quenquam de simili nota uno uerbulo auderet attingere, neue putaret, se impune ullo modo posse lacessere: ideoq; ita in me debacchatus est, ut quicquid suggereret aut cæca libido, uel hostilis obtrectatio, proijceret in me, nulla habita ratione ueritatis, adeo ut sibi nō temperaret, quin aspergeret totam gentē labe peruulgatæ uituperationis, quòd sit dedita ebrietati, mihiq; semel atq; iterū obijceret crimen temulentiæ, qua criminatione quàm mihi faciat insignē iniuriam, testimonium ferent mihi quibus uitæ meæ consuetudo uel leuiter

ter nota est. Hoc (inquam) cõsilio in me debacchatus est, cõgerendo quæ uis probra, ut me deterreret maledictis, contumelijs & sannis, & mihi silentium imponeret. Verùm quantumcunq; fremens in me desæuiat cõuiciando & uituperando, nunquã tamen à ueritatis et innocẽtiæ defensione deterrebit. Non me pudet, nec graue mihi erit, ferre contumelias & probra, propter eum, qui nostra causa factus maledictum, sustinuit nostra opprobria. Omnibus maledictis opponam Dei & piorum benedictionem: maledicet ille, Deus omnesq; boni benedicent. Nihil mihi accidit nouum aut insolens: scio Prophetas, Apostolos, Martyresq; sanctos, præter culpam oneratos mendacijs & probris: scio Filium Dei nihil tam fecisse & dixisse rectè, piè ac diuinè, quod non maledici allatrarent, & in calumniam raperent. Scio pendenti in cruce, sum-

mos infimos insultasse & eum subsannasse. Nõ est seruus maior domino suo, nec discipulus suo magistro.

Zuinglianorum petulantia & superbia in cõtemnendo Luthero.

Neq; mirum aut nouum cuiquam uideri existimo, bonum istum uirum percitum iracundiæ æstu tam inclementer me tractare, tam fastuose extremè contemnere, qui nouit atq; reputat secum, quàm sit hoc genus hominum irritabile, petulans, superbũ, contentiosum & peruicax: quàm à multis uiris doctissimis eximiæ autoritatis nõ abstinuerint, nihiloq; cum illis egerint remissius & modestius, quàm in me cęco impetu hostis irruit. Quot probra Carolstadius in excellentissimum illud organum Dei æternæ memoriæ D. Lutherum congessit? quot quantisq; cõuicijs illum proscidit? Quàm contemptim omni honore dignum despexit, quàm duriter obiurgauit eum Zuinglius his uerbis ipsum compellando, in Epistola quadam ad D. Lutherum: Illud

facilè

facilè uidemus, te uel imperitum uel nimis rudem esse Theologum, cùm de utraq; in Christo natura disputãs, inter has iuxta uerbum Domini distinguere nõdum nouisti: uel si illud non ignoras, interim uero hac confusa utriusq; permixtione simplices fallis & decipis, te seductorem, impostorem, & Christi negatorem, ipso Marcione deteriorẽ esse iudicamus. Sed ignorantiam tuam in te potius agnosco, quàm ut nequitiam & impietatem hoc esse existimem. Idem in responsione ad Lutheri confessionem, eius constantiam, quòd cedere noluit hostibus ueritatis, his uerbis incessit, odiosè criminando: Lutherus obstinato & deuoto animo conceptam semel opinionem persequi, & obtinere conatur, nec multum curare solet, quodcunq; tandem de re quauis pronunciet, etiamsi uel sibiipsi uel diuini uerbi oraculis contradicere deprehendatur. Alius quidam

magni nominis non erubuit, sui admiratione inflatus, instructum excellentissimis donis, & cœlestis doctrinæ abundantia diuitem præ se fastidire ac dicere, Lutherum indoctum fuisse rusticum. Quis acerbius aut contumeliosius insectatus est optimè meritum, quàm Tigurini fecerũt anno uno ante eius mortẽ, cum parcendum erat eius ætati, maximis meritis, & reuerendo senio honor deferendus? Nonnunquàm magnificè collaudare solent, quando id Sacramentarijs commodum uidetur, ad tegendas suas insidias: prædicant fuisse eum utile organum Dei, et tamẽ absurdissima quæq; ac detestandas blasphemias multas imputant eius doctrinę de Cœna Domini, in cuius cõfessione persistens ad extremum usque immori etiam non dubitauit. Quid meus iste aduersarius, quàm honorificè scilicet commendat, dum insimulat contentiosum fuisse, uehementem

Sacramentarij quando laudent Lutherum.

hementem, leuem, qui in defendenda causa sua non inueniret ubi consisteret? Num, obsecro, mihi parceret minimo discipulo à longe sequenti uestigia, qui clarissimis uiris non pepercerunt? in me non acuerent aculeos linguæ, quos exeruerunt in undiquaq; munitos aduersus morsus Sycophantarum?

Astutè autem sapit, artificioſe id agens, ut postquàm inflixit mihi graues plagas, & me deformatum traduxit longè lateq;, adigar ad silentium, ne mihi relinquatur potestas depellendi intentata crimina, bonam famam tuendi & contradicendi in posterum Pseudoprophetis. Saperent sanè lupi, rem suam pulchrè stabilirent in oues grassaturi liberè, si obtinerent postulata sua, & silentium indiceretur tam pastoribus quàm canibus, ne horum clamore & latratu repellerentur. Quis Hæreticus non tale aliquid postularet? quis

non facilè reum opprimeret, & causa quamuis mala perrumperet uictor, siquidem impetrare posset, ut sibi permitteretur licētia accusandi, criminandi & damnandi: reo autem non daretur libera facultas sese defendendi: Hoc utique consilio instigat graues uiros, ne sinant me longius progredi, nō obscurè declarans, pro quibus uiris habeat, quotquot hactenus restiterunt grassanti malo: quandoquidem pro grauibus & prudentibus uiris habeat, qui non solum ipsi desertores ouium muti sint, sæuientibus lupis, sed etiam alios prohibeāt, ne graues lupos arceant, et de illis cauēdis ouiculas partas sanguine Christi admoneant. Petulantia est illi, quā poscit cohiberi, aliquid siue loqui siue scribere pro conseruanda puritate doctrinæ, & corruptelis contradicere: at nō est illi petulantia, obloqui manifestis uerbis Filij Dei, multasq; scripturas ad sua commenta detorquere.

quere. In Ecclesiarum dedecus putat redundare, si patrocinentur simplices ueritati, non respiciant personas, & falsarijs obluctentur: At non dedecus est, ueritatis defensionem deserere, Deo exosum silentium flagitare, & poscere, ut graues uiri patrocinantium ueritati, pro doni sui modulo, ora obstruant, & pios conatus infringant.

Huc spectat consilium, quòd minatur ex omnibus angulis eductu-rum se copias ualidas, quæ sustinentes molem belli cædant, fundantq; ad unum omnes, quicunq; sub Christi militent signis. Confisus multitudine imbellem turbam contemnit: nullius esse precij, nulla uirtute præditam ebuccinatur: Paucos ait esse, qui, reliquis tacentibus, clamoribus suis lupis sint molesti. Sint sanè pauci, sint despecti & contemptibiles, quid tum postea? nonne Domino tam facilè est per paucos uictoriam

reportare, quàm per multos? tam per imbecilles quàm fortes? nũquid causa iusta succumbet, etiamsi succumbant pauci inermes? Cum uno Athanasio paucis remanẽtibus, multi clari potentia, autoritate, eloquentia defecerunt ad Arium, nunquid ideo prævalente hæresi, Orthodoxa fides de Christi diuinitate oppressa est? Vnus Lutherus cum paucis toti regno Antichristi restitit, et tamen prævaluit plurimis acerrimis hostibus. Frustra igitur Sacramentarij ex paucitate & imbecillitate pugnantium sumunt animos, & uictoriam sibi pollicentur.

Neq; uero numerus ad tam paucos redactus est, quàm ab istis numeratur. Non ignotæ sunt uoluntates, uota & gemitus piorum: multi non ita contemptibiles & abiecti, ut fastuosi eos despiciunt, declarant non solum in Germania, sed etiam Gallia & Italia, quid sentiant, quid iudicent,

cent, in quam partem inclinẽt, quid credere, confiteri & defendere sint percupidi & parati, si meliora docerentur, sique duces præirẽt boni. Tacuerũt multi ad Sacramentariorum consensionem, nõ ideo tamen, ut isti interpretant, approbarũt ipsorũ oracula: tacẽt ad alia multa, nec tamẽ ea approbant sua taciturnitate. Multi Episcopi, pastores et fideles ministri Christi cõtradicũt ubiq; Berengarij hęresi per Carolstadiũ & Zuingliũ resuscitatę, maximè in Ecclesiis quæ infestant à uicinis infectis contagio. Nãalię ab his remotiores prorsus intactę sunt, ac incõtaminatę ab ista labe, uixq; audierũt, quęnam sit Sacramẽtaria hęresis. Aliquot insignes Ecclesię ornatę prędcellentibus doctoribus nominatim errorẽ de Sacramento Cœnę Dñi dãnauerũt in cõfessionibus, quę extãt diuulgatę prælis. Et si igit instructiores ad dimicationẽ tacẽt ad tẽpus, occupati aliis laboribus

& certaminibus, stant tamen in pro cinctu non neglecturi publicum pe riculum, ubi uiderint ei obuiam eun dum esse, nec ullis molestijs, odijs, minisq; se deterritos patientur re pelli. Pro inani terriculamento ha beo, quòd minatur, se retecturum dedecora quæ melius lateant. Nullius us hęresios, nullius sceleris mihi con scius sum, quod uerè sine mendacio & dedecore suo proferat. Nam glo riatio nostra (per gratiam Christi) hæc est, testimonium conscientię no strę, quòd in simplicitate cordis & synceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus in hoc mundo. Non enim su mus sicut plurimi cauponantes Dei uerbum, sed tanquam ex syncerita te, sicut ex Deo in Christo loqui mur: Abdicamus occulta dedeco ris, non ambulantes in astutia, neq; adulterantes uerbum Dei, sed in ma nifestatione ueritatis, commendãtes nosmet-

nosmetipsos apud omnem conscientiam hominum coram Deo. Quòd si posthac uelit meecum agere, quemadmodum cœpit & me deformare, mea scripta detorquere, calumnioſe antilogias falsas fingère, ita ut fecit sub falso titulo defensionis, facilè cerrè inuenerit nimis copiosam materiam talium rerum, quibus me iniustè contumelijs affectum commaculet. Licebit tum fingere me scripsisse, dixisse, sensisse, quod nũquam in mentem uenit mihi: quod feciſſe eum ab omni parte apparebit ex mea refutatione, præcipuè ex tropo; quem meis uerbis affinxit, & à seipso introductum exagitat prolixè, quasi plausibilem materiam nactus.

Quid habuit uel minimum, quod iustè reprehenderet in farragine mea, continente se intra arctas metas unius argumenti positi in hisce ueris simis sententijs: hæreticos, utcunq; consentiant in una hæresi, ta-

men inter se dissidere? Sacramentarios manifesta hac nota se prodere, maximè consentientes in uno errore, tamen etiam in una uoce interpretationes pugnantes gignere, non solum totum cõtextum uariè distrahere, id quod probatur testimonijs adductis ex propriis ipsorũ libris. Credo equidem, breui scripto, undique quasi firmis munitionibus circundato, in angustum redactum, et destitutum omni ueritate, totum, cõmotabile, se conuertisse ad conuicia, mendacia, calumnias & cauillationes. Animaduerto Satanam molestissimè ferre simplicis ueritatis patrocinium, qua uulnus inflictum sit eius prophetis, eo quòd uideo furenter mihi irasci, fremere, & stomachari in me, ac quiduis experiri, ut sese quocũque modo ulciscantur. Voluit in terrorem omnium ostendere, quantus sit artifex, quàm ualidos habeat lacertos in illa palęstra cæcis ictibus inferendis,

rendis, quidq; mihi sit expectandum de meis reliquis scriptis, ubi patet liberior campus ad incurrendum & insultandum in me.

Vellem autem, si omnino nesciret à me abstinere, rem ipsam aggressus, bonis rationibus experiretur mecum agere, sepositis prauis affectibus, maledicentia, Sophistice & calumnia ualere iussis. Quòd si aliter est animus, eoq; fertur absq; habenis, ut pergat progredi in uia, quam ingressus est, scire debet, me maleuolorum mendacia, contumelias, conuicia & uituperationes non alio loco habere, quàm scurræ alicuius aut meretricis, quæ pudorem abiecit, & mihi susq; deq; esse, siue bene siue malè dicant, siue laudent, siue uituperent ex Zuinglij schola, tanquam ex equo Troiano profusi, quibus exosus sum propter damnati ab Ecclesiis CHRISTI dogmatis repræhen-

sionem. Recident in autores sordes in nos proiectæ, falsa probra obijcientes cognoscent sua uera dedecora patefacta toti mundo, lecturi aliquando tetros suos errores, impias quæstiones, absurditates, blasphemias, quibus redundāt ac diffluunt Sacramentariorum libri. Non poterit Antesignanus melius se dare, quàm dedit, nec meam uicem acrius ulciscī, quàm si ita se dederit, qualem se præstitit in hostili sua insectatione, tam per se deformiter uana, ac manifestæ ueritati palàm repugnanti, ut non existimem, etiam addictos ipsi omnes fidem habituros, tot tantaq; crimina aliquid habere ueri, quot cōgesit in ignotum et immeritum, aut odio & cupiditate uindictæ, aut falsis delationibus abreptus. Fortassis citius inuenisset fidem, præsertim apud incircumspectos & iniquos iudices, si refrenata iracundia, parcius aliquanto criminationibus & calumnijs indulsisset.

Me autem si nulla alia causa urgeret, una tamen hæc imponeret mihi magnam necessitatem respondẽdi, quòd trahit ad societatem hæreticæ consensionis de re Sacramentaria, seiunctos Augustanæ confessioni, & tot Ecclesias ac Theologos auersatos tãto tempore Zuinglij dogmatantaq; perpessos traducit: Et quosdam eximios uiros molitur suspectos facere, (id quod libenter facitare consueuerunt, fallaci prætextu) quasi sentiant cum Sacramentarijs, quamuis fidem suam de Cœna Domini declarauerint integris libris, qui extant, & tacite retractauerint doctrinam ante defensam, et fuerint in sententiam Zuinglianam. Pernicios a esset patiẽtia obnoxia graui culpæ, dissimulare & tacere, ac permittere subdole allegari nostrarum Ecclesiarum consensum, idq; callidum commentum obtectũ splendidè sub nomine Augustanæ confessionis &

Sacramentarios non consentire cum Augustana confessione.

teris obtrudi pro certissima ueritate, quo uel inducantur in errorem, uel obfirmentur inducti, fidem habituri tanto autori, de quo uel suspicari aliquid fraudis, plus satis illi addicti putent nefas esse. Ita enim liberè progrederetur error, nullo impedimento obsistente, tanquam fide publica data à nostris Ecclesiis: ac tum demum blandissima specie insinuaret se persuasio, quicunq; uno uerbo obniterentur, esse illos homines turbulentos, paucos morose ac pertinaciter insistere suæ opinioni, dissentientes à confessione ab omnibus recepta. Multi optimi principes cũ subditis suis tot annos persistunt in exhibita cõfessione immoti, nec passi sunt magnis difficultatibus, insidijs, atq; periculis ab ea se dimoueri: repulerunt atq; adhuc repellunt Sacramentarios ab Ecclesiæ gubernaculis: edictis insuper promulgatis prohibuerunt à priuatis conuenticu

lis

lis, & ciuium suorum congressibus, qui haud dubie molestè ferent, sic in sidias strui, & detestantes impudentiam, in clara luce ludificantem, admonebunt palàm, ne quis temere credulus seducatur uanissima fabula adornata speciosonomine: memores quoq; sui officij multo minus admittent, promiscuè distrahi libros pestiferis erroribus noxios, quàm non ferendum est, ut pascua publica, aut fontes, aut fluuij inficiantur ueneno, uel sordibus, uel merces adulteratę & corruptæ multorum damno uendantur in publico foro.

Augustana cõfessio quid doceat de Cœna Dominica.

Quàm pulchrè aduersario meo conueniat cum Augustana cõfessione, perspicuè apparet ex declaratione prudẽter addita in apologia, cum quidẽ breuitas in eo articulo posset trahi in ambiguum sensum. Ea sic habet ad uerbũ. Decimus articulus approbatus est, in quo confitemur nos sentire, q̃ in Cœna Dñi uerè & sub

stantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & uerè exhibeantur cum illis rebus, quæ uidentur, pane & uino, his qui Sacramentum accipiunt. Hanc sententiam constanter defenderunt nostri concionatores. Et comperimus nõ tantum Romanam Ecclesiam affirmare corporalẽ præsentiam Christi, sed idem & nũc sentire, & olim sensisse Græcam Ecclesiam, ut testatur Canon Missæ apud Græcos. Hic diserte affirmat apologia, uerè & substãtialiter Christi corpus & sanguinem adesse, & exhiberi in Cœna, id constanter defendisse Theologos coniunctos editæ confessioni: aduersarius cõtrà negat adesse, & dari substantialiter. Nonne hæc est manifesta contradictio? quo modo igitur in sua consensione complexus est, quicquid habet cõfessio, nisi secundum syllabas & formam uerborum? Quæ est ergo ista reuerentia, qua prosequitur professos, a-

perte

pertè se defendere, et defendisse corporalem præsentiam, quam tot sibilis & sannis excipiunt atq; explodũt Sacramentarij, insimulans magnę leuitatis & inconstantiæ, quasi nũc nõ defendant sententiam receptam in tota Ecclesia, sed ab ea defensione secesserint in castra Zuinglij? Sanè æquè reuerẽter eos honorat, hoc de illis diuulgando, quàm defert eis honorificè, eum notat eos esse tales cõfessores, qui captent aduersariorum Christi gratiam, & metu crucis infelicitatis suam confessionem. Apologia allegat Romanæ & Græcæ Ecclesię cõsensum de præsentia corporali in Eucharistiæ Sacramẽto, uiderint cuius Ecclesiæ sint ciues, qui hanc doctrinam damnant, & me non ob aliam causam, quàm ob eius defensionem, atrociter maledicis conuicijs suis onerant & diffamant. Quid facerent, si quãtum mihi in hac parte ueritas pãtrocinatur, et quantum iuris

aduersus maledicos diffamatores habeo, uel minimum ipsi pro se haberent, in tam manifesto mendacio deprehensi, quòd fingunt se idem docere & scribere, cum iis quorum sententiam explodũt, & contra alios sentire, quod reiecerunt in confessione & apologia publicatis per totum imperium? Vident itaq; omnes nõ corrupti iudices, me hac una iustissima causa & necessitate impelli ad agendum hæc quæ ago, si non multæ aliæ me in aciem extruderent.

Iam uero multæ sunt causæ, quæ requirunt Apologiam: Non est deferenda ueræ doctrinæ defensio: tuenda est fama bona, ne contemptus recidat in ministeriũ quo fungor, nec fides (quod quæritur à malevolis) minuatur meis scriptis: insultantium inimicorum petulantia est reprimenda. Primum itaq; refutabo tria præcipua capita falsæ accusationis, unũ, quod obiicit accusator, Sacramentarios

rios falsò à me insimulari, quòd inter se dissentiant & pugnantia scribant. Alterum, iniuste reprehēdi, quòd nihil præter uacua symbola relinquant in Cœna Domini. Tertium, quòd accusat, autoribus turbarum repugnantem, cōtentiones & discordias excitare. His refutatis diluā deinde aliquot obiecta crimina, & calūnias.

Primam partem accusationis intendit aduersarius probare ex Synonymia aliquot uocum idem significātium, quales sunt figura, signum, symbolum: mirum sanè non ex literis & syllabis etiam probare, quibus ipsis idem uti solent, summam inter ipsos esse consensionem. Hinc apparet, quàm iustam habeat causam, ut uociferetur, me esse indoctum & stultum, nimirum qui non uideam, quod puer quilibet scientia grammatices leuiter imbutus, idem significare nonnullas dictiones, quæ in collectione dissidentium sen-

Sacramentarios inter se dissentire.

tentiarum unà cõcurrerunt. Trium phat planè de hac parte victoria: laudem ex mea ipsius confessione captans gloriatur, me non potuisse melius laudare consensum, quàm in tabula proponendis plerisq; uocabulis conuenientibus pulchre in una significatione: & quidem ita est, fateor, non potuit à me rectius laudari consensio, quia aliud nihil erat, nec quicquam suppeditare potuit, de quo se iactaret. Ego uero deferam adhuc multo ampliorem laudem: dicam ingenue, nõ solum in paucis uoculis, sed etiam in rebus et sententijs conuenire: neque antè, hoc quicquid est laudis, Sacramentarijs ademi, quando uno fasce complexus, uno nomine cohonestaui omnes, & eos sibi constare dixi in uno eodemq; errore tuendo: negare ad unũ omnes, de mensa sancta dari Christi corpus & sanguinem. Vtrunq; ergo dixi, et quòd Sacramentarij consentiant, &

quòd

quòd dissentiant: ac in genere scripsi de omnibus falsæ doctrinæ autoribus, in idem eos incumbere studiũ, ad eúdem tendere erroris scopum, unde uno nomine appellantur Hæretici, & tamen inter se dissidere, & impugnantes uarias q; opiniones diuisos sibi repugnare. Vtrunq; ergo uerum est: ex parte quodammodo Sacramentarij consentiunt, ex parte dissentiunt. Nec ualet ex particulari deducta argumentatio: In aliquibus sentiunt & loquuntur idem, Ergo per omnia & in omnibus inter eos conuenit: Sicut uitiosa est illa quoq; aliqui inter se consentiunt, proinde inter omnes Sacramentarios est consensio, quam tamen meus reprehensor inducit sic colligens: Scribo mutuas consensiones cum Tigurinis, una est nostra sententia, mutuas tradimus operas, nihil igitur dissensionis reperitur, neq; fuit unquam ullo tempore aliqua discrepantia inter

Sacramentarij consentiunt & dissentiunt.

quoscunq; Sacramentarios. Ego uero nec personas, nec tempus definio, sed indefinitè dico: Sacramentarios dissidere, alias super alias opiniones inter se pugnãtes afferre, idq; ostendo propositis aliquot exemplis.

Hæc secta hydra est multorum capitũ, latè se extendit. Omnes ferè phanatici siue Anabaptistæ siue Dauidiani, siue Valentiniani Memnoni adhærentes, siue alij quocunq; impliciti errore, profitentur et retinent mordicus dogma Zuinglij, in una tamen professione, uariè distractis, singulis ferè suum commentum placet, uereq; de his dicitur, consonam dissonantiam, et consonantiam dissonantem inter eos esse.

Non à me primum obiecta est sententiarum in una hæresi diuisio, non à me solo inde sumpta est probatio spiritus erronei, dubij & fallacis. Fecerunt id ante annos complures uiri fidei & doctrinæ integritate

te præpollentes: fecit id Elias nostri temporis, in libro cui fecit titulum: Hoc est uerborum Christi: Hoc est corpus meum, firmum consistere: enumerat tres sectas exortas circa unum & eundem errorem. In breui cõfessione, scripta biennio ante mortem, recenset septem opiniones circa uerba Cœnæ Domini dissidentes. Postquam ille concessit ad beatam quietem, diuersitas opinionum tantum aucta est, quantum, quasi fractis repagulis, erupit, longéq; progressa est Sacramentariorum licentia. Toti libri, non tantum quædam excerpta, demonstrant, quanta sit dissimilitudo & contradictio in commentis & corruptelis, quæ spargunturpro reuelationibus diuinis & prophetijs spiritus.

Carolstadij opinio ex aliorum quorundam.

Indignis modis uiolenter dilacerantur contextus & ordo uerborum. Carolstadius punctis includens hæc

uerba: Hoc est corpus meum, diuulsa à præcedentibus: contendit per se esse absolutam orationem, non cõnexam cum præmissis. Alij quidam περὶ ὕπερον καὶ πρότερον, inuerso ordine, uerba collocauerunt hoc modo: corpus meum quod uobis traditur, est hoc, subaudi spirituale alimentum. Alijs placuit ita legi: quod pro uobis traditur, hoc est corpus meum.

In Phrisia omittuntur hæc uerba, Hoc est corpus meum.

A concionatore quodam perspecta fidei his diebus ad me perscripsum est, in Phrisia truncata recitari uerba institutionis in Cœna Domini, omissa hac parte: hoc est corpus meum: hic est sanguis meus noui testamenti. Panem fractum distribui in hanc sententiam prolatam Germanico sermone: Accipite, edite, credite, et in memoriam reuocate, corpus Domini nostri Iesu Christi in ligno crucis fractum, & oblatum esse uerum sacrificium pro peccatis uestris. Poculum deinde porrigi, addita hac forma

forma uerborum: Accipite & bibite, credite, et memores estote sanguinem Domini nostri Iesu Christi in cruce effusum esse in ablutionem peccatorum uestrorum. Faciũt hoc Satanæ ministri secundum cõsilium spiritus Suuenckfeldij, qui suasit, ut hæc uerba: hoc est corpus meum, seponerentur ex oculis.

Princeps tenebrarum malè odit lucem, nõ sustinet claritatem in uerbis Cœnæ, ideo uellet ea esse oblitterata, et ueram fidem de Sacramento Eucharistiæ deletam: hoc molitur efficere per suos Prophetas, qui ferũt molestissimè, suas deceptiones, oppositis claris uerbis Christi, pudefieri, & ualdè contemptim ea abijciunt ita murmurãtes: Tria uerba sibi obijci semel dicta. At tria uerba filij Dei plus ponderis habent, quàm multa millia uerborum, quæ humana sapientia fundit. Maioris est momenti, semel ab eo, qui est ueritas, pronuncia

ta esse, quàm si humana aut angelica uerba plus millies proferantur. Vnum uerbũ Filij Dei tãti est, quòd unus apex non peribit, quòd cœlo & terra transeuntibus, permanebit. Perfricet nunc aliquis frontem, dicat, Sacramẽtarios per omnia idem sentire & loqui, etiamsi in uarias formas, contextum & structuram orationis effingant, uoces quoq; singulas uariè distrahant.

Nam in simplicibus etiam dictionibus fit uiolenta distractio in plures diuersas significationes, quæ efficiunt sententias minimè simul consistentes. Pronomen hoc retulit Carolstadius ad corpus in mẽsa accumbentis, quod Apostoli corãm aspiciebant, ut articuli Græci, in genere discrepantis cum ἄρτος, suam interpretationem astruens. Noster reiecit hoc insulsum commentum, (sic enim appellat) cõcedit panem demonstrari.

Calumnit reiecit insulsum commentum Carolstadij.

Accessit

Accesit tertius interpres, cui articulus, hoc, demonstrat totam actionem & formam Cœnæ.

Quo colore pingent? quo fuco excusabunt manifestam antilogiam, ne uideatur in his ulla esse contradictio? Magno consensu ex Luca & Paulo Ecclesia dictionem, quod, relatiuè intelligit in hoc Christi sermone, quod pro uobis datur. Discessit tamē à recepta interpretatione Oecolampadius, & quod, non relatiuè, sed causaliter, pro quatenus exposuit, ut stabilir et commentum, quòd corpus dictum sit, pro commemoratione corporis traditi. Sed quid fiet in Matthæo & Marco, unde sumetur definitio corporis & certa significatio, ubi non additur hæc appendix, quod pro uobis traditur, sed simpliciter dicitur: Hoc est corpus meum? Quis fingetur tropus? quodnam adhibebitur τὸν φὸν φάγμακον, ad conciliandam re-

Oecolampadij opinio.

pugnantiam positam in cõtrario sensu particulæ, quod, ab alijs acceptæ relatiuè, ab alijs pro quatenus causaliter expositæ. Sed hęc missa faciam, quanquam per se non parua, minuta tamen, præ ut appellationem corporis distractam transformãt in mille species, & unica dictio refingitur pro arbitrio cuiuslibet, ut corpus significet

Carnem Christi.
Figuram Corporis.
Passionem.
Mortem.
Memoriale passionis.
Diuinitatem Christi.
Fidem.
Vigorem Corporis.
Virtutem Christi.
Merita & beneficia Christi.
Qualitatem Corporis.
Actionem & formam Cœnę.
Ius & merita in Corpore.
Societatem Ecclesiæ.
Festum.

Et multa alia, quæ unuſquiſque ſomniat.

Porrò in controuerſia agitata inter noſtras Eccleſias & Zuinglianos, præcipua quæſtio eſt, quo ſenſu intelligenda ſint hæc uerba: Hoc eſt corpus meum. In hac quæſtione conſcientijs non ſatis fit hominum commentis, nec quæritur quid hic aut ille ſomniet, ſed requiritur ſimplex, certa & indubitata ueritas. Neceſſe eſt igitur uerba illa ita explicari, ut conſtituant interpretes unam aliquam definitionem, quæ ſit quaſi fundamentum, cui fides firmiter & ſolidè ſuperſtruatur, ut immota conſiſtat. Iam uerò Sacramentarij uni operi incumbentes ita ſuum errorem extruunt, tãquàm uanas & pugnantes ſententias, pro ſuo quiſque arbitrio affingunt uerbis uniformi ratione deſcriptis ab Euangeliſtis & Paulo, ut mutuo ſuum ædificium deſtruant, ac diuerſis et diſſidentibus inter

se opinionibus, quæ nullo modo conciliari possunt, prodant sui dogmatis incertitudinem & uanitatem, suique spiritus uertiginosi clarissima præbeant indicia. Variant quidem etiam alij boni interpretes in exponendis plerisq; locis scripturæ, & multa ad idem probandum afferũt: attamen expositiones illæ & probationes quodammodo cum rei natura, quæ explicatur, conueniunt, nec se inuicem collidunt, ut Sacramentariorum commenta se mutuo perimunt. Cum itaq; simplex sit ueritatis oratio, ut uerum uero consonet, mendacium autem nusquam cohæreat, & scriptura ipsa hac nota cõspicuos fecerit falsos doctores, quòd inter se dissentiant, & nesciant de quo affirment, econtrà ueros doctores commendet, quòd idem sapiant & loquantur, rectè ad arguendam Sacramentarij dogmatis falsitatem, opinionum discrepantiam adhibui.

Repugnant

Repugnant autem & contradicunt nō solum alij alijs, sed etiam plerique ipsi secum dissident. Quia Zuinglio caro Christi in capite sexto Ioannis, quod trahunt ad negocium Cœnæ Domini, significat passionē, diuinitatem, fidem. Verba eius recitaui in farragine. In tractatu secūdo institutionis de Cœna Domini, carnem Christi fidem nostram esse dicit. Panis (inquit) & caro cuius Christus hîc meminit, nihil aliud quàm fides est. Ibidem scribit, corpus de quo dicit Christus, hoc est corpus meum, pro passione & morte, quam in corpore suo sustinuit, sumi debere.

Zuinglius secum dissidet ipse.

In Epistola ad Lutherum scribit, corpus Christi dici nostram commemorationē, quòd corporis uel mortis Christi in Eucharistia memoria celebretur. Ibidē ait, pronomen hoc, nequaquam demonstrare corpus Christi essentiale, sed festum potius, idq; corpus Christi dici, non aliter q̄

nos Christi resurrectionem & ascensionem dicere solemus.

In alterius cuiusdam scriptoris uno libro corpus exponitur, quòd sit tus in corpore & sanguine Christi.

Societas nobis delata.

Meritum corporis.

Actio seu externa forma Coenæ, & ipsa Coena Domini.

Extremæ voluntatis consignatio.

Iudicium sit penes cuncta membra ueræ Ecclesiæ Dei, quàm prædicta rectè cohæreant, & conueniant in unius uerbi definitione, quod non nisi unam certam & propriam significationem admittit, in solis ne uocibus an in sententijs discrepent.

Quærat nunc meus reprehẽsor, ubi inueniatur uerborum dissonantia, quæ sola faciat hæreticos? quasi ego solam dissonantiam uerborum non rerum & sententiarum reprehenderim, aut dixerim usquam, dissonantiam

sonantiam in uerbis hæreticos facere, ubi nulla sit dissensio in rebus? Dissonantia sermonis non facit, sed prodit ac manifestat Hæreticos, qui in doctrina à fidei consonantia dissonant, id quod me scripsisse ex præfatione præmissa farragini luce clarius est, & cuiuis expositum, ut uideat, nisi ex odio cęcutire in sole, & euidenti ueritati reclamare uelit.

Victus ueritate manifesta, necesse habuit fateri rerum contrarietatē: ne tamen uideretur sine ulla causa me insectari, speciem potius repugnātiæ subesse, quàm uerè repugnare sibi inuicem prætexens, & perquæsita quædam diuerticula elabi conatus, cœpit causari disputationis obscuritatem, quæ initio motæ controuersiæ difficilior non potuerit ita commodè explicari, sciens & prudens oblitus, unumquemq; prophetam in eā disputationem ingressum, Spiritus sancti reuelationibus acce

Speciem repugnantiæ in Sacramentarijs, quomodo excusset Caluinus.

pta tulisse sua inuenta: Zuinglium gloriatum fuisse, se tropum suum inuenisse lumine fidei, etiamsi aliâs suspectum faceret suum spiritum, confessus, se non in sacris literis, sed Bataui cuiusdam Epistola preciosam gemmam reperisse, & per somnium à uiro, quem ater ne, an candidus fuisset nesciret, sibi monstratos locos scripturæ, ubi Est pro significat accipiatur: cæteros item Prophetas nihilo segnius sibi uendicasse gloriã Propheticæ interpretationis inspiratæ à diuino spiritu: neminem cuiquam sustinuisse cedere, suamq; sententiam loco moueri: neminem agnouisse errorem, neminem apertè retractasse, qui si uiuerent minime acciperent ęquo animo, à quoq; sua sugillari, nihil omnino mutarent: quam pertinaciam laudibus etiam extulit meus conuiciator in Oecolampadio & Zuinglio, quamuis non tam correctionem addiderit illorum scriptis,

Zuinglij spiritus seu reuelatio.

ptis, quàm reprehenderit in suis scri
ptis.

Circumspexit sibi deinde de alio effugio, quòd obiter quædã fuerint dicta, & me calumniatus est, quòd ista arripuerim tanquam plena esset definitio. Quid, num dicta obiter, dicta esse negari potest? nonne quæ obiter dicuntur præsertim à Theologis uera esse, & inter se cohærere oportet? Atqui non exciderunt illa, quæ à me citantur, sed plerumq; in dimicatione ex professo magna asse ueratione dicta esse, libri citati, non somniculose inspecti, fidẽ faciũt. Verba Apostoli in 1. Cor. ca. x. ingenti conatu deprauãt Sacramentarij, quoties peruentũ est ad eum locũ: & κοινωνίαν alij interpretant pro iure & so cietate nobis delata in corpore Christi, alij pro mystico corpore & socie tate Ecclesiæ, quũ tamen ęquè nõ patiat corpus ꝓ Ecclesia accipi, ut sanguis eo loco nõ põt ꝓ Ecclesiæ socie

κοινωνίαν quid Sacramentarijs significet.

tate capi, sed similiter propriè de corpore Christi intelligi necesse sit: ut sanguis ibi propriè dicit de Christi sanguine. Quare improbè me impetit calumnia hoc mẽdacio, dictum aliquid obiter, à me arripi pro plena definitione. Difformes, diuersas & non conuenientes inter se expositiones in singulis dictionibus, & præcipuè in corporis uocabulo, & contextus dilacerationes recensui, non uarias definitiones, quæ diuersa relatione ex diuersis compositæ partibus cum unius rei natura conueniunt.

A fine non malè definitur Cœna Domini, esse celebrem partæ redemptionis memoriam: sed hoc modo ab una tantum parte, non plenè, definitur: neq; rectè transfertur hæc definitio ad corporis appellationẽ, quòd corpus Christi sit celebris memoria partæ redemptionis, quemadmodũ nec corpus rectè definitur Eucharistiæ uel passio, uel festum commemorationis

rationis, eo quòd instituta sit Cœna ad gratiarum actionem, & commemoratio fiat passionis Domini. Aliud porro est aliquid notari, aliud aliquid definiri: significatur symbolis panis & uini societas & unitas Ecclesiæ, uerùm non propterea conuenit corpus detorquere à propria significatione ueri & naturalis corporis Christi ad mysticum corpus Ecclesiæ, idq; ne fiat, obstant hæc uerba: quod pro uobis traditur: non enim Ecclesia pro nobis est data. Aliquãdo etiam Zuinglius negauit corporis appellationem posse intelligi de Ecclesia, quum inquireret, quo sensu in scriptura corpus dicatur, & discedẽs à propria significatione substitueret pro corpore symbolum corporis absentis.

Attendat nunc lector, ut se calumniator obstringat culpa, cuius me falsò reum peragere uoluit: quàm furor mentem præcipitet, quàm cupi-

dè Caluinus arripiat, quod in me eiaculetur. Vt sibi inde aliquid leuamen habeat, instituit αὐτοπαθειαν, conferens in me, quòd qui oppugnem, tropum ipse introducam, atq; mecum ipse dissidens alios accusem de dissidijs. Verùm aut non intellexit me, aut intelligere noluit: equidem nullam mentionem feci tropi, quem in uerbis Cœnæ subesse dicerem. Nam farrago mea in præfatione habet hæc uerba: Non excusat tropus confictus eam uarietatem. Cum uerus tropus explicatur, non admittit nisi unam propriam sententiam. Indefinitè dixi, quemcumq; tropum unam certam solummodo sententiam admittere, non plures eosq; dissonos sensus. Verum tropum, quem necessitas alicuius loci scripturæ affert, opposui falso tropo conficto humana temeritate, meaq; hæc fuit argumentatio. Cum uerus tropus nõ recipiat nisi unam sententiam, & uarietatem

rietatem opinionum non excuſet, multo minus confictus tropus eam excuſat. Hunc ſenſum per ſe non ambiguum ſequens exemplum de Allegoriis etiam declarat.

Satis igitur ridiculum ſe præbet meus irriſor: fingit me dicere, quod ex ſemetipſo loquitur, pugnans Andabatarum more: in nugis agit Tragœdias: quaſi aliquid plauſibile, & palmarium nactus interrogat, quid de me meiſq; ſodalibus reſponſurus ſim, qui cõtendam uerba Chriſti perſpicua eſſe, mox autem tropum ſubeſſe fatear? Vbi ô bone? Prorumpit ilico ad cõuicia, phreneticum me uocans, neſcientem cum quibus confligat, ſeq; ipſe elidat: quod conuicium coniectum in me cæco furore, merito recidit in ſuum autorẽ. Paulo pòſt ante uictoriam canit triumphum: clamat me conſtrictum teneri, nec patere uiam effugiendi, quin ſim hæreticus, quandoquidem de hæreſi accu-

sem tropologistas, & ipsemet incidã in hæresin tropum inducendo, nisi fortè uelim meum tropum esse sanctificatum. Tam faceta enim ironia irridet. Tandem addit Epiphonema: Pudẽdum (inquit) est, feruorem in iuuene intolerabilem in sene nondum refrixisse. Quomodo non Demea aliquis toto theatro risum moueret, si in consimilem modum ueniret iurgans, & clamitans, Proh Deum atq; hominum fidem: aut gladiator aliquis infligeret ictus aëri, aut crebris insultibus impeteret spectra, quod sibi ob oculos obuersari imaginaretur?

Cęterum rectè responderem, meum tropum esse sanctificatũ à Christo & Apostolis: & hæreseos notam facilè summouerem, etiamsi tropum ponerem in uerbis Christi, & concederem non sine tropo dici à nostris, corpus Christi esse cum uel sub pane: quanquam sacra scriptura tropis

abundans

abundans non in omnibus sub tropos & leges, uel Grammaticorum, uel Dialecticorum, uel Oratorũ se redigi patiatur. Consentiret enim cum uerbis Christi, nec ideirco excusaret aut defenderet ab hæresi tropologiam dissentientem à mẽte uerborum Christi: non statim sanctificati essent, et ab hæresi alieni, multi tropi contrarij eius sermoni, dum alij faciunt Metaphoram, hic quidem in uerbo est, ille in corporis appellatione, alij Metonymiam, alij Synecdochen, alij figuram hysterologiam introducunt: plerique libenter dicerent esse hyperbolen, quæ affingitur Lutheri scriptis, et sententijs Chrysostomi de Cœna Domini, multo clariori bus, quàm ut eludi possint. Contineat se hoc loco refutatio primæ partis accusationis, qua ostendi Sacramentarios uarijs glossis, & commentis dissentire, & contradictoria scribere, licet consentiant in uno falso do-

gmate tuendo, & in uerbis nonnullis sit quædam consonantia, quæ proposui in tabula eo ordine, quo occurrebant in excerptis. Nũc ad alteram partem refutandam accedo.

Sacramẽtarij in pane & calice nihil præter uacua symbola relinquunt.

Accusationis falsę alterum caput constitui, quòd aduersarius me accusat, aliena à uero scripsisse in farragine, affirmantem, Sacramẽtarios præter uacua symbola nihil in pane et calice Eucharistico relinquere, & uehemẽter in eo occupatur, ut persuadeat, non ab illis relinqui Cœnam uacuam corpore & sanguine Christi.

Excogitati sunt Tropi, alter in uerbo Est pro significat, alter in uocabulo Corporis, p figura seu symbolo: ut statueretur, non præsentia sed absentia corporis & sanguinis Christi, detortæ sunt multæ scripturæ, præsertim quæ loquuntur de Christi ascensione in cœlum, ad excludendam præsentiam: eodem tendunt paralogismi, & sophismata congesta

pro

pro ardumentis, & contrarię sententiæ opposita. Quid? illa quò spectāt, quòd fides & memoria sint rerum absentium, si nō euacuatur communio Ecclesiæ corpor: & sanguine Domini? Cur ergo ante annos ferme uiginti recensuit inter falsas opiniones, quòd quidam ponerent tantum figuram & symbola corporis? Cur in libro quodam Zuinglij sodales reprehendit, ad annos quindecim contendisse, & non cogitasse, dum toti in hoc erant, ut assererent panem & uinum corpus & sanguinem Christi uocari, quòd ipsorum signa sint: sibi hoc interea simul agendum, ut adiungerent ita signa esse, ut nihilo minus ueritas cum eis coniuncta sit. Si agnouerunt se errasse, & tanto tempore perturbasse Ecclesiæ concordiam suis contentionibus, cur non retractauerunt errorem? cur adhuc laudatur con-

stantia Oecolampadij & Zuinglij, quòd ne uerbum quidem de sua sententia mutaturi essent, si uiuerent? quod sanè facile credo: quomodo scribit, se consentire cum istorum discipulis, qui mordicus retinent magistrorum suorum doctrinam, nec unquam protestati sunt publico scripto (quantum quidem peruenit ad meam noticiam) illam se damnare et & abijcere? Quare in consensione ne quidem attingitur, sed occultatur, sed approbatur potius, & stabilitur error, & id extra controuersiam ponitur, quod Zuinglius à se inuentum cõtentiosè defendit, uerba Cœnæ figuratè esse accipienda, ut panis et uinum id dicantur esse quod significant? Quare non admonentur Ecclesiæ apertè, ut sciant quatenus & in quibus facta aut non facta sit consensio, quæ recipienda, quæ retinenda, quæ relinquenda?

Sed quorsum attinet curiosè ista inquirere,

inquirere, quum disertis uerbis, non solum affirmet aduersarius, in Cœna mystica Christi corpus & sanguinẽ percipi, sed Augustanæ confessioni etiam subscribat? Verba quidem ita præse ferunt: utinam indubitata ueritas uerbis responderet: at metuo (ignoscat timido non de nihilo est timor) ne sub bonis uerbis lateant insidiæ, & sub melle propinetur uenenum, ac maior nunc quàm antè uigilantia opus sit ad cauendum à Pseudoapostolis, postquàm ueniũt in uestimentis ouium pastorum uocem mentiti. Præmonui de his insidijs in farragine, quosdam ita attemperare sermonem, ut uideãtur longè remoti & exempti esse à Sacramentaria hæresi: sic enim loqui: in Eucharistia uerè exhiberi corpus Christi. Recitaui ibi satis prolixè descriptos locos ex libro de Cœna Domini & aliunde: non destitit tamen accusare, me perfidè egisse, citasse scripta per par-

ses, subtraxisse quædam, ne plena & sesto sub oculos uenirent. Idem rursus semel atq; iterum fatetur, me recitasse, ubi asserat corporis Christi communicationem, & de ignorum ueritate clara testimonia protulisse ex ipsorum scriptis. Si profero clara testimonia, cur accusat, perfidè aliquid me dissimulare: cur falsò arguit, pugnantia dicere? Habet scilicet percussor anceps tem linguæ calumniatricis gladium, ut utrinq; cædat. Si profero clara testimonia, dico pugnantia: si prætereo, malè audio de perfidia.

Præfatus eram, ad uerbũ me recitaturũ, quæ essent edita à Sacramentarijs: ita me feciſſe, ostendũt sententiæ recitatæ, ut leguntur in impressis libris: nõ me obstrinxeram, ut descriptis integris uoluminibus, aut maiori parte excudi facerem codices & latius dispergi, plus satis ubiq; diuulgatos: indicaueram librorum titulos,

los, quos totos legeret, si quis vellet. Præmonendi causa farrago indicauit partim consonantiam aliquam in uerbis, in doctrina uero & fide dissonantiam, partim discrepantiam in uerbis & sententijs.

Præmonuerunt alij uigiles non ignaræ astutiarum Satanæ, ante alios D. Lutherus sagacissimus in spiritibus dijudicandis, & pseudoprophetarum dolis detegendis. Iam anni fuere amplius uiginti duo, quando scripsit ad Francofortenses accolas Mœni admonitionem, Ecclesiæ perneccessariam & utilem, cum ad eum peruenisset fama, de Sacramento Eucharistiæ secundum Zuinglium apud eos doceri, sub tali umbraculo, taliq; uerborum specie, perinde ac si per omnia doctrina conueniret cum Ecclesia Vuittenbergensi, atque ita astutè inuolui, ne quisquam aliquid certi assequi posset, quid sentiret, quidue crederent bilingues isti: nec celauit,

quo consilio id facerent, nimirū quia uiderent currum nimis longè prone ctum in coenum, neq; amplius fidem inuenire clamorem, in Coena nihil nisi panem & uinum communis exhiberi, inflectere coepisse sermonem, priorem tamen opinionem retinere, Interpositis annis undecim iterum scripsit cōfessionem brevem de Sacramento, in qua commemorat, sepius ad se allatum esse, Sacramentarios gloriari: Luthero bene cum eis conuenire in doctrina de Coena Domini, atq; obtestando petit, ne quis sinat se induci, ut credat, quòd consentiat cum illis. Commemorat in eodem libro, collocutores Marpurgi confessisse, non solum panem & uinum esse in synaxi, quem errorem antea defenderant acerrimè, sed Christi etiam corpus & sanguinem exhiberi in ea, ueruntamen spiritualiter, nō corporaliter. Addit tandem, se uno loco & nullo discri-

mine

mine habere quicunq; renuant credere, panem in Coena sacra Christi uerum & naturale esse corpus. Nemo plus alio loco habeat, quantumcunq; ludificentur simili sono sermonis, priusquam omni perplexitate remota confiteantur ingenuè, in communione dari substantiam Dominici corporis & sanguinis, & falsam suam doctrinam recantent, libros de ea scriptos aboleant.

Quòd si aduersarius hoc quod dixi credit, quid me flagellat? Si nõ credit, quid prudentes & uidentes tentat decipere? quid præstringit mentes fulgore Augustanæ cõfessionis? quo ore prædicat se in consensione sua summatim cõplexum, quicquid habet de Sacramento prædicta confessio? Quid sibi uolunt fucatæ & fallaces conciliationes repugnãtium sententiarum D. Lutheri & Zuinglianorum? quibus quantum fidei habendum sit, testimonium ministro-

tum Tigurinæ Ecclesiæ, propter eũ sensionem mutuam, etiam apud Sacramentarios plurimum ualere debet, qui in confessione aduersus Lutherum censent non aliunde, quàm ex claris eius uerbis, de eius sententia iudicari posse, & commodam interpretationem & conciliationem sententiæ utriusq; partis habent pro assentatione. Si perstat in ea fide, quam declarauit ante annos circiter uiginti, certè nihil minus credit, q̃ substantialiter Christi corpus adesse & dispensari in Cœna. Tum enim confidenter negauit præsentiam substantiæ, usus his uerbis: Christus exhibet se præsentem, uirtute suis semper adest, in eis uiuit, eos sustinet, cõfirmat ac conseruat, non secus ac si corpora adesset. Secundum hanc rationem (secũdum uirtutem) corpus Christi in Sacramento nobis exhibetur, secundum priorem (secundum substantiam) minime: docendi causa

iam

tam dicimus uerè & efficaciter exhiberi, non autem naturaliter. Quo scilicet significamus non substantiam ipsam corporis, seu uerum & naturale Christi corpus dari, sed omnia quæ in suo corpore nobis beneficia præstitit. Hæc ille. Alibi in commentarijs suis eandem sententiam retinuit, sed tectius & occultius, coloribus ita temperatis, ut nõnulli, quamuis non obtusi nec hebetes in perspiciendo uero, uix diuinarent quid sibi uellet, & anguillam, quod dicitur, cauda tenerent, dubij & perplexi, quænam eius certa sententia esset. Aliqui minus perspicaces credunt ipsum cum nostris idem docere, quo nomine cœperũt eius libri pluribus esse gratiores, donec in lucem daret consensio mutua, atq; ex latebris & inuolucris se euolutũ patefaceret, omnẽq; ambiguitatẽ, nebulis & tenebris dispulsis, tolleret. Conuertit se qdẽ iterũ ad latebras, ut tectus tãquã

nube incedat incognitus, sed tamen satis se prodit.

Videtur planè idem cum nostris, absq; ullius doli mali & fraudis suspicione, loqui & sentire, quia cõfitetur fideles sub panis symbolo Christi recipere corpus: ueracem esse qui loquitur: minime ei cõuenire inanem tesseram porrigendo nos frustrari: non inanem oculis figuram proponi, sed pignus nobis porrigi, cui res ipsa & ueritas cõiuncta est, quòd scilicet Christi carne & sanguine animæ nostræ pascantur. Item, panem uocari corpus Christi, quia Symbolum est, cui sua annexa sit ueritas. Nimium incredulus & morosus sit oportet, si quis aliquid desideret amplius, atq; adhuc dubitet, aut timidè fidem adhibeat: omnia esse tuta satis, præsertim quum accedat asseueratio tam sancta, qua affirmat, se sentire de uero corpore, quod pro nobis semel oblatum est. Quàm mul-

Caluinus quid sentire uidetur de præsentia Christi in Cœna.

cos deciperet his præstigijs? quàm prægrauaret me? Quis non circumuentus crederet, iustissimè in me debacchari, si se continuisset in latibulis suis? Sed bene habet, quòd satis se aperit, & multa præbet certissima indicia, spiritu Zuinglij obsessum, nihil aliud parturire, circumferre & edere in lucem, quàm ille parturijt, et ab eodem spiritu afflati proferũt, data opportunitate, suaq; mysteria patefaciunt, quantumuis sciant astutè ea celare, & uerba rectè docentium aliquando imitari, pro consuetudine usitata hæreticis, qui ut Irenęus ait, similia cum Orthodoxis loquuntur, & dissimilia sapiunt. Aliunde sumere probationes nihil opus est, suppeditat nobis non paucas unum hoc, non tinctum sed perfusum uirulentia scriptum, quas ordine recitabo.

I.

Quemadmodum alio loco scribit, non substantiam corporis seu ue-

Quòd Caluinus neget ueram præsentiã

Cum corporis & sanguinis Christi &c.

rum & naturale Christi corpus dari, sed beneficia quæ nobis in suo corpore præstitit, ita in hoc scripto corpus interpretatur uigorē, ait enim: spiritu suo in nobis habitans, ad se ita nos attollit, ut uiuificum carnis uigorem in nos transfundat, non secus ac uitali solis calore per radios uegetamur. Paulò post subijcit, quòd Christus in cœlo manens ad nos sua uirtute descendit. Pro eo quod Ecclesia credit, Christum dare suum corpus, ille aliud substituit, quòd uirtute sua ad nos descendit. Dare corpus est illi Christum descendere sua uirtute: ita fallit corporis uocabulo usurpato ambiguè.

Corpus quid Caluino significet.

Similiter ludit ambiguitate sermonis, inculcans ueritatem esse coniunctā cum signis, ueritatem signorum intelligens uirtutem seu effectū Sacramenti, non substantiam carnis & sanguinis, ueluti luculenter declarat alibi sic scribens: Illud mihi est extra

Veritas signi quid Caluino significet.

tra controuersiam, ueritatem hic cũ suo signo coniunctam esse, Hoc est, non minus uerè nos, quãtum ad uim spiritualem attinet, participes corporis Christi fieri, quã pane uescimur. Hoc loco ueritatem, quæ coniuncta sit cum symbolo, dicit uim spiritualem. Atqui Vis spiritualis, Vigor corporis, Virtus, Merita & beneficia Christi non sunt Christi corpus. Manifesta igitur est negatio præsentis substantiæ corporis, non aliter affirmare corpus exhiberi, quàm uigorem seu uim spiritualem se in fidelibus exerere.

Martinus Bucerus alicubi confessus est, uerè & realiter corpus & sanguinem Domini adesse in Cœna. Sonat eandem uocem aduersarius, sed habet paratam glossam, opponit imaginario reale, quod nostri opponunt figurato, & intelligunt substantiale corpus: ideo pro se Bucerum allegat. Et gloriatur illum gratulatum

esse ipsi de bella ista consensione, ut persuadeat permansisse in pristina sua sententia, & ut antè fecerat, cum Zuinglio ad extremum usq; consensisse, licet aliud præ se tulerit quibusdam suis actionibus & scriptis: quæres quid ueri habeat ex Testamento eius, & tractatu de Coena quem scripsit ante mortem multis constat.

In alio libro declarauit se alio sensu usurpare eam uocem quàm nostri, ubi inter opiniones reiecticias posuit, quòd corpus Christi in Eucharistia adsit realiter & substantialiter, idq; ab hominibus ad simplicitatem scripturæ additũ esse scripsit. Simili arte illudunt Sacramentarij per Amphibologiam, quando obijciunt, repugnare articulis fidei, putare quòd corporaliter seu carnaliter Christus adsit, uel mãducetur in Coena: Intelligitur enim aduerbium corporaliter de corporali & physico modo, & de præsentia corporis: quo

Corporaliter non de physico modo intelligendum est.

sensu

sensu posteriore à nostris enunciatur, à Sacramentarijs uero rapitur in calumniam iuxta priorē sensum.

Rursus decipiunt his locutionibus, cum dicunt: Spirituale corpus adesse, edere cibum seu alimentum spirituale, quas opponunt fallaciter præsentiæ, & sumptioni ueri corporis Christi. Est quidem, & rectè dicitur corpus Christi cibus seu alimentum spirituale, & percipitur spiritualiter, quia habet & subministrat uim spiritualem, quia animæ cibus est, non uentris, quia non ut alij cibi ad naturalis uitæ subsidium subseruit. Postremo quia fide inhærente uerbis Filij Dei omnipotentis præsens esse statuitur, fide esuritur, fide ad salutem animæ sumitur, sed ideo non desinit esse, neq; ideo negari debet, exhiberi uerum & substantiale corpus Christi, Sicut Sacramentarij negant, & idcirco sapiunt, iudicant ac loquuntur carnaliter de rebus fidei

Christi corpus cibus spiritualis est.

spiritualibus, quæ pertinent ad Regnum Christi. Etenim rationis sapientiam adhibent in consilium, carnales admiscent cogitationes, ex physicametiuntur mysterium fidei, & incredibili negant id esse & dari, quod Filius Dei pronunciat, quòd sit & detur in hoc Sacramento. Nam spiritualiter agitur quicquid fit & geritur secundum Dei uerbum & fidem: Econtra carnaliter fit, quicquid fit sine uerbo & fide. Sacramentarij tractant sacram Coenam contra uerbum et fidem, Christi uerbis negatis & deprauatis, multis scripturis detortis. Quapropter carnaliter omnia circa Eucharistiam administrant. Nihil subuenit eis, quòd multa concionantur de spirituali manducatione, imo magis grauat eos, quòd abutuntur Dei nomine & uerbo, & miseros Christi pusillos turpiter ludificant.

II. Præsens

II.

Præsentiam & sumptionem corporis & sanguinis aduersarius constituit in fidei spirituali communicatione & fruitione Christi, ut edere carnem, & bibere sanguinem eius, nihil aliud sit, quàm credere in Christum, quo modo cõtinuè sancti manducant, & à condito mundo, aliquot millibus annorum antequàm conciperetur ac nasceretur, manducarũt Christi corpus, hoc est, communicãt & fruuntur Christo: iustus enim fide sua uiuit: & nihil aliud agitur in Cœna, quàm aliàs agitur, cum fides intuetur Christum mortuum pro nobis, nec amplius aliquid habeat Cœna præter symbola addita fidei.

Edere carnẽ Christi in Cœna est Caluino idem quod credere &c.

Nam in hanc sententiam scribit, Spiritualem communicationis modum esse, ut re ipsa Christo fruamur, panem uocari corpus Christi, quia Symbolum est, ut uerè participes fiant Christi, qui et ore signũ, et si

de promissionem recipiunt. Promissionem fide recipere, & per fidē participem fieri Christi, id uocat edere eius carnem. Non dicit recipi nostrus Christi, sed fide promissionem (quæ non est Christi corpus) & ore nihil præter signum.

Ita Zuinglius in expositione negocij Eucharistiæ, præsens habere Christi corpus, definit idē esse, quod Christo fidere. Si spiritualis (inquit) est iusta corporis præsentia, puta, quòd in mente fidimus Christo, pro nobis mortuo, omnino nihil dissidij inter nos manebit. Ita pletumq; alij definiunt, corpus Domini manducare, esse mortem eius commemorare. Solent enim uerba hæc: accipite, comedite, hoc est corpus meum, definire ex sequentibus: quod traditur pro uobis: Hoc facite in mei commemorationem, & miscere hæc duo, corpus edere & cōmemorare mortem Domini, quæ sunt diuersa, siquidem

dem aliud est, quòd iubemur edere corpus Domini, aliud est finis & usus rei, quæ accipitur, uidelicet commemorare beneficia nostri redemptoris, qui seipsum tradidit pro nobis. Si quis autem tollit rem ipsam, tollit simul rei usum & effectum. Defraudant itaq; se usu Cœnę Domini, & ad effectum fruitionis beneficiorum non perueniũt, qui ex communione auferunt substantiam carnis & sanguinis uiuifici.

III.

Veram præsentiam corporis & sanguinis negat manifestè, ubi absentiam Christi secundum corpus indu cit, & relinquit inhabitationem spiritus. Opponit enim spiritus prę sentiam præsentiæ carnis, cum ait: Abest Christus secundum corpus, spiritu autem suo in nobis habitans, ad nos se ita attollit, ut uiuificum carnis suę uigorem in nos transfundat. Et paulo pòst subdit: Totus in cœlo manẽs,

Caluinus dicit Christum abesse secundum corpus &c.

ad nos sua uirtute descēdit. Credit Ecclesia Catholica Christum ita abesse, ut iam non conuersetur in terra, quemadmodum dispensationis suæ tempore conuersatus est cum Apostolis: credit eum totum manere in cœlo, ut tamen non absit, sed secundum uerbum ipsius sit præsens corpus, ubi peragitur Cœna ab ipso instituta. A recta fide deuiare, alioscp seducere iudicat, statuentes ità abesse, & in cœlo manere, ut adsit corpore suo in synaxi. Credit item Christū habitare spū suo in fidelibus, sed nō separat à spū inhabitātis Christi, uerbum, Sacramenta, Baptismum, communionem corporis, et fidem, p quę media Spiritus sanctus datur, & credentes fiunt templū spūs, & retinēt Christum inhabitātem. Scit quòd institutis medijs neglectis, cōtemptis, aut malè usurpatis, neque adueniat Christus, neq; mānsionem usquam faciat. Scit Cœnam dñicam unum esse de

de sanctis organis, seruiẽtibus fidei, p quæ Christus habitat in cordibus piorum, ac tantũ abest, ut neget, propter inhabitantem suo spũ Christum adesse suo corpore in Cœna, ut pro certo habeat, non aduenire nec præsentẽ in eo habitare uelle, si qs incredulus uerbis eius contradicat, & respuat corporis eius participatiõe de spũ ipsius participare & inhabitantẽ retinere. IIII.

Infamat hic Sacramentarius eos, qui iuxta uerbum Christi confitentẽ, uerã carnẽ dispensari in sancta Cœna, phãtasma loco corporis imaginari, qa scilicet nõ sit sensibile, & secundum Geometricam rationẽ sua magnitudine localiter adesse nõ conspiciatur. Volũt Sacramẽtarij palpare & uidere carnem & ossa, alioqui nõ crediturí, quòd detur uerũ corpus. Proinde detorquent huc, quòd Dñs post suam resurrectionem, ostensis manibus & pedibus, exhibuit se con

Caluinus dicit nos imaginari phantasma loco corporis.

trectandum suis discipulis, & ueritatem corporis sensibiliter demonstrauit, addita ex aduerso hac ratione, quòd spíritus carnem & ossa non habeat. Atqui resurrectionem eo modo cõprobari conueniebat: Cœnam uero suam non instituit ad probandam sui corporis aut resurrectionis ueritatem: nec dedit corpus suum edendum, ut oculis conspiciamus, & palpemus manibus carnem & ossa. Satis est nos inniti fide minimè obscuris & fallacibus uerbis, quandoquidem uerbo & fide in Sacramentis agere nobiscum Domino placuerit, & nunc uideamus quasi per speculum in ænigmate. Pertinet enim etiam ad Sacramenta, quod dictum est ad Thomam: Beati qui non uident & credunt.

Argumẽtum Sacramentariorum Philosophicum.

Atqui, inquiunt, corpus in loco est, suam habet dimensionem, oculis potest uideri, manibus tangi & palpari, sine his conditionibus corporis ueritas

ueritas non constat. Hæc quidem dictat Philosophia, sed aliud docet Theologia: quia aliud pronunciat conditor natura superior. Etsi is non ignoret conditionem & proprietatem physici corporis, nihilominus dicit, se dare suum corpus, idq; iubet suos discipulos accipere & comedere, quamuis sensus nihil quàm panē & uinum sua experientia adesse cognoscant. Respondeant quæso ex Theologia & ex ore Christi, non ex Philosophia & rationis iudicio, fidem ne rationi, an potius Filio Dei sit habenda? Quid quòd isti boni Philosophi pugnāt cum sua physica, ex qua Babylonicam suam turrim extrudere conantur? Paulus scribit ad Ephes. iiij. Christum ascendisse supra omnes cœlos. ad Hebr. iiij. Iesum cœlos penetrasse. Cap. vij. altiorem factum esse cœlis. Concedant igitur nobis Christum exaltatum esse supra omnes cœlos. Fatentur uerò,

quòd, Philosophicè loquendo, nullus locus sit supra cœlos. Negabunt ergo Christum supra omnes cœlos ascendisse, quum ibi non sit locus, nec corpus naturali lege sine loco esse possit? aut si religio est hoc negare, contra physicam admittent, corpus Christi esse sine loco. Tam enim est contra legem physici corporis, id non in loco esse, quàm naturæ legi repugnat corpus simul in pluribus locis esse. Quòd si uale dicto Philosophiæ inhærendum est Dei uerbo; cur non & in Eucharistiæ mysterio pendent potius à uerbo Dei, quàm Philosophiæ dictatis? Apparet hinc quàm sint inanes eorum Physicæ & Mathematicæ ratiunculæ. Quando igitur Sacramentarijs phantasma est corporis, quod ueritas pronunciat uerum suum corpus esse, quid contra uerbum fide ficta imaginentur, suomet produnt indicio.

V. Pro

V.

Pro somnio habet aduersarius Ecclesiæ fidem, credentis, substantiam corporis Christi communicari in Eucharistię Sacramento: indulgens suo stomacho interrogat, an somniandū sit eius substātiam in nos transfundi, ut sordibus nostris inquinet? Quis uero somniat substantiam transfundi, uel sanctū corpus sordibus inquinarię? Sua somnia in nos trāsfert, somnians corporis transfusionem & localem connexionem. Nos neq; transfundi, neq; locari, neq; connecti aut copulari carnem cum pane dicimus: non reperiuntur eius generis locutiones in nostris scriptis, nō in cōcionibus audiuntur, Sed Sacramentarij affingūt eas nostræ doctrinæ, atq; in suis scriptis personant, ut nos deformēt, & uerā doctrinā traducāt. Simpliciter esse & dari docemus, q̄d sapientia æterni Patris esse, & dari affirmat: cōfitemur p̄sentiam ueri corpo

De transfusione substantiæ corporis Christi interrogatio Sacramentarij.

ris pro nobis dati, & sanguinis pro nobis effusi: non statuimus modum præsentiæ nobis incomprehensibilem, nec curiositati humanæ perscrutabilem: non facimus connexionem, non transfusionem, aut tale aliquid, quod designet aut exprimat locale quid, uel alioqui parum cum recta fide consentaneum. Suppositicius igitur est sermo & tralaticius de transfusione substantiæ: si uellet proferre nobis usitatum, diceret suo more, somniare nos, dari uerum corpus Christi: is enim sensus subest occultè, cum fingit nos substantię transfusionem inducere: sed ut nos grauaret, & suum errorem non tam apertè proloqueretur, maluit dicere trãsfusionem substantiæ.

In quodam eius libro legũtur hæc uerba: Non est figura nuda, sed ueritati & substantiæ suę coniuncta. Sacramenta Domini nullo modo à substantia & ueritate sua separari oportet.

portet. Hic usus substantiæ uocabulo nonnullos permouit, ut putarent ipsum confiteri, quòd caro Christi substantialiter adsit in Sacramento: alios perplexos reddidit, ut dubitarent, quid sentiret. Sed declarationem addit antè citatus locus, ubi negat, substantialiter adesse, Et hic locus, ubi innuit, se pro somnio habere fidem de substantia corporis præsentis in Eucharistia: Indicat nimirum non obscurè, substantiam & ueritatem Sacramentis cõiunctam se uno eodemq; sensu intelligere de usu & usu Christi carnis & sanguinis, non de ipsa substantia.

Substantia et ueritas Sacramentis cõiuncta, quid Caluino significet.

VI.

Panis Eucharistiæ aduersario sic est Christi corpus, et uinum sanguis, sicut Manna olim spiritualis fuit cibus, & aqua erat Christus. At Manna et aqua è petra erant tantum figuræ, non corpus nec sanguis Christi. Nondum enim assumpserat Filius

Quomodo panis sit corpus Christi iuxta Caluinum &c.

Dei carnem, etsi promissus erat & Patres inuenturum crederent. Non dum instituerat Sacramentum corporis & sanguinis noui testamenti proprium, quod instituit, postquam apparuit in carne. Non de Manna dictum est, hoc est corpus Christi uenturi, nec de aqua è petra fluente, hic est sanguis noui testamenti: sed hæc dicta sunt de pane & calice Domini, & tamen æquant Sacramentarij figuram & umbram ueritati, & ueritatem umbræ, atq; apertè declarant ista dissimilium cõparatione, se nulla habita ratione institutionis & uerborum Christi, corpore & sanguine eius uacuam Cœnam ponere.

VII.

Sacramentarius cõcludit Christum in cœlo usq; ad iudicium.

Hoc facere hunc Sacramentarium, inde quoq; fit manifestum, quòd Christum in cœlo concludit, unde se non moueat, donec redeat ad iudicium, ut sit impossibile, Christum in terris nobiscum agere, quemadmodum

dum etiam Zuinglius scripsit in subsidio de Eucharistia, & in Apologia ad sermonem Lutheri contra Suermeros. Nos uolumus, inquit ille, Christum in cœlo quærendum esse, quod eum capit donec in Iudicium appareat. Satis quidem imperiose dictum est: NOS VOLVMVS, perinde ac si Christus pro hominis arbitrio quærendus sit, & quisquam ex Christianis nolit eum in cœlo quæri, licet credant etiam præsentem ad esse in Sacramento communionis. Nos uero Christum quæramus, non ubi homines uolunt, sed ubicunq; promisit se præsentem futurum, & ubi se exhibet in uerbo & Sacramentis: nihil hæsitemus, ibi cœlum, & domum Dei esse, ibiq; Christum certò inueniri: eo enim modo quærendus est, quo se patefecit, eaq; sola uia potest inueniri. Cùm alio modo & uia quæritur, toto cœlo aberratur, & frustra quæ-

Vbi Christus quærendus sit.

situs non inuenitur: ac de his quæsita quærit uerè prædixit, uenturos qui dicerēt: Ecce hîc, ecce illic Christus, hoc est, qui eum alligarent temporibus, modis, locis, obseruationibus, de quibus non habet Ecclesia expressum Dei uerbum. Calumniosè ista detorquentur ad eos, qui Christum illic quærunt, & adesse prædicant, ubi dedit uerbum & promissionem suam.

Sacramentarij autem fingunt aliter eum adesse in Cœna, quàm uerbo suo expresit: negāt adesse in Cœna suo corpore & sanguine: non placet illis, ille modus præsentiæ corporalis (qui tamen pro ratione fidei spiritualibus uerè est spiritualis) & propterea non adest illis, uacuam habēt & relinquunt alijs Cœnam, quia nō credūt uerbis Domini dicentis: Hoc est corpus meum: & quia non conueniunt ad peragendam Cœnam in fide acquiescente omni uerbo Dei,

ut

ut edant corpus, & bibant eius sanguinem (non solum ut edant panem & bibant uinum) idq; faciant in memoriam sui redemptoris, nihil dant alijs, nihil sumunt ipsi quàm panem & uinum, Nihil eis confert prolixè concionari multa de spirituali manducatione, & de commemoratione mortis. Nam qui dixit: hoc facite, idē dixit: hoc est corpus meum. & tam magni ponderis hæc sunt quàm illa uerba, & utrumq; uult credi: frustra alterum credunt, in altero increduli, & alijs pernicioſi, dum alterum altero euertunt, multasq; scripturas pertrahunt eò, ut falsam suam doctrinam latè sparsam prætextu scripturæ uenditent.

VIII.

Nihil minus credere aduersarium quàm corpus Christi uerè et substantialiter adesse ac dispensari in Eucharistia, documento sunt absurda quæ obijcit, non quidem nobis, sed Filio

Dei: neq; enim noster, sed illius est sermo dicentis de pane: hoc est corpus meum, & de calice: hic calix sanguis est meus noui testamenti: neq; nos sensum affingimus, sed accipimus ex claris uerbis Euãgelistarum & Pauli. Si Sacramentarij fidem haberent misso à Deo Patre filio, ut reuelaret nobis arcana mysteria, abstinerent à quæstionibus impijs humanæ curiositatis: non quæreret curiosus iste Momus imitatus Carolstadium, post Berengarium alterum patrem Sacramentariorum, qui calumniatus est, Lutheranos esse gigãtes, qui Dominum detrahãt de cœlo, & incantationibus suis concludant in panem: non, inquam, quæreret, an Christus detrahatur de solio suo, ut iaceat inclusus frustulo panis? non obijceret has absurditates: Christũ non minus esse panem quàm hominem, si panis propriè sit corpus Christi: miscerí substantiam carnis eius cum

Quæstiones curiosæ Sacramentariorum.

cum hominis anima: non talia multa obiecissent alij curiose scrutantes mysteria excedētia omnem captum rationis: quæ absurda & blasphemię existunt ex quæstionibus, quales uitare præcepit Apostolus.

Qui indulgent suis cogitationibus, & quæstionibus curiosis occupantur, ex illo principio, quòd non credunt uerbis Christi, iudicant absurdum esse dicere, panem esse corpus Christi, sicut Zuinglius in suæ hæresis blasphemias se prolapsum esse fatetur, scribens, nunquam se per omnem suam uitam credidisse præsentiam corporis Christi in pane, & de se iudicans totam Ecclesiam, ne id quidem credidisse pronunciat impia temeritate, quod profitetur se credere, & credit uere: necesse est, ubiq; offensi multa absurda moueant, & circa fidem naufragium faciant. Curiosæ quæstiones omnes hæreticos im-

Principium Sacramentariorum, Non credere uerbis Christi.

plicterũt absurditatibus & blasphemijs. Quàm multas absurditates cõmenti sunt Ariani ex Philosophia inuestigantes generationem ineffabilem Filij Dei geniti ab æterno Patre, ut notum est ex ueterum scriptis, præcipuè Cyrilli?

Sacramentarij excogitatores portentorum.

Clamitat aduersarius, non eousq; trahendam modestiam fidei, ut horrendis portentis totam religionem deformet. Sed ista portenta excogitant Sacramentarij ex Philosophia & cerebro suo: domi nata imputant nostræ doctrinæ, inaudita ante Berengarium, Carolstadium, Zuinglium, et eorum discipulos: horum stulta sapientia & immodestia eousq; progreditur, ut execrandis blasphemijs deformet doctrinam Ecclesiæ, ut uiam monstret ad prostituendam religionem, & exponẽdam ludibrijs mũdanæ sapientiæ. Expedita autem esset uia ad concordiam et confessionem Ecclesiarum, si à mysterijs fidei

ſemoueretur rationis magiſterium, & abſtineretur à quæſtionibus curioſis, quæ fidem euertunt.

IX.

Ex Sacramento tolli præſentiam corporis, nõ incerta coniectura, ſed euidenti argumẽto, ex eo colligitur, quòd aduerſarius dicit, incredulos inanes & uacuos diſcedere, quando accedũt ad communionem. Id enim fit ex hac cauſa, quia loquitur de uirtute & effectu Sacramenti, unde ait: Dominum offerre omnibus gratiam ſuam, quam ſoli fideles recipiũt. Offerre & accipere corpus eſt illi offerre & accipere gratiam, ut corpus iam ſit intelligendum pro gratia, & ſumptio corporis gratiæ perceptio. Accedit pius ad Synaxin, iam uirtus ſua eſt cõiuncta cum ſignis, hoc eſt, gratiam oblatam fide percipit. Accedit aliquis malus et indignus, iam uirtus non eſt coniuncta ſignis. Et nihil is accipit præter uacua ſymbola. Vbi

De indignè manducantibus.

ergo manet uerbum Domini constituens Sacramentum unum & idem omnibus, siue bonis siue malis, idem inquam, quoad substantiam corporis & sanguinis, non idem quantum ad effectum. Non enim, ut nos isti suggillant, facimus effectum Sacramentorum communem impijs pariter & pijs, sed distinguimus Sacramenta & eorum usum. Verbū Christi efficit Sacramentum, non nostra fides. Accedit (inquit Augustinus) uerbum ad elementum, & fit Sacramentum. Verbum Christi in Cœna est, quod dicit: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. hoc accedit ad panem & uinum, & fit Sacramentum, non absentis, sed præsentis corporis & sanguinis saluifici. Ad uerbum accedit fides, & percipit fructum Sacramenti, fruitur beneficijs Christi. Si fides non accedit, defraudat se quidem fructu, sumens Eucharistiam: sed ideo nō desinit integrum

esse

esse Sacramentum. Nec aliud Sacramentum accipit indignus, quoad Sacramenti integritatem, quàm accipit dignus. Etsi hic aliquid amplius cõsequatur, quoad uirtutem seu gratiam Sacramẽti. Itaq; compluribus locis, perspicuè minimeq; ambiguis uerbis legimus sanctũ Augustinũ affirmare, Iudã uesse corpus Christi manducasse, quos locos dissimulãter preterit noster, interim tamen cõtrariæ sententiæ testem citat. Nos à uerbis Christi & Apostoli Pauli, et in his firmato consensu Ecclesię non discedimus propter absurditates, quas obiectant Sacramentarij. Obijcit aũt grãde Sacrilegiũ esse, nos Christum à suo spũ diuellere, crimen falsissimũ tũ probaturus, cũ nos Christũ separare à suo spũ probabit, qa incredulos cum pijs audire idẽ Euangeliũ, & cũ baptizantur, eundem baptismũ accipere asserimus, licet uirtutẽ uerbi et baptismi non consequant, nec de spũ

Christi participent. Verùm quę pertinent ad hanc disputationem, plenius tractata sunt in libello meo de recta fide, Et in collectaneis sententiarum diui Augustini, quę impugnata ab aduersarijs non destituentur suo tempore sua defensione.

De capite cõtrouersiæ inter Lutherum & Sacramentarios.

Ex his manifestum est, quàm pulchrè aduersario conueniat cum Augustana confessione, quàm callidè transponat controuersiæ scopum, dũ rem dirigit eò, ut persuadeat, certamen præcipuè fuisse Luthero contra eos qui fecerunt Sacramenta externas notas professionis, & contulerunt cum uacuis figuris. Pugnauit quidem ille etiam aduersus hunc errorem, inuectum à Carolstadio & Zuinglio, quem adhuc hodie multi hauriunt ex istorum lacunis: sed statum causæ agitatæ inter Lutherum & Antagonistas in ea concertatione præcipuè uerti, id longe aliter se habere, in confesso est ex lectis scriptis

ptis utriusq; partis, quæ si non legit Caluinus, quid pronunciat de ignotis? si legit, cur scopo moto suo loco, alium alibi præfigit? Caput controuersiæ fuit, quòd primi autores Sacramentarij dissidij contenderũt, panem & uinum in Sacramento significare corpus & sanguinem, Et absentium symbola esse. Contra: Lutherus cum suis συμμάχοις defendit, uerè & substantialiter præsentia dari & sumi in Eucharistia. Oecolampadius ipse in Antisyngrammate scripsit, de hoc controuerti, an uerbum ideo dictum, ut panis substantialiter sit corpus, uel dictum, ut panis significet corpus. Eodem controuersiæ summam retulerunt Tigurini: eodem retulit meus criminator (si licet eum testem cõtra seipsum adducere), cùm scriberet Sacramentarios suos annis quindecim contendisse de uacuis symbolis, neq; cogitasse ueritatem cum signis esse coniunctam.

Superius relatum est ex breui cõfessione Lutheri, Zuinglianos primum Marburgi concessisse, non uacua prorsus esse signa Sacramenti, sed corpus Christi manducari, spiritualiter tamen. Quanquam igitur sciret Lutherus spiritualẽ præsentiã & manducationem statui â Sacramẽtarijs, & idem haberi pro sancti corporis & sanguinis sumptione, credere in Christum, tamẽ eodem, quo antè, loco eos habuit, Et iudicauit Eucharisticam Cœnam ab eis euacuari: quem ubi cõuicerint mendacij, tum me redarguãt falsum scripsisse, nihil eos præter panẽ & uinũ relinquere.

X.

In ore duorum aut trium consistit omne testimonium. Ne igitur unus solus testetur, & quidem contra seipsum, adducam alterum testem aduersario neutiquam repudiandũ. Citra ambages et inuolucra rem ipsam proferẽs Zuinglius, negat Ecclesias

Zuinglius de uacuis signis.

Heluet icas

Helueticas eo sensu accipere hæc uerba: Hoc est corpus meũ, quo Lutherus & Ecclesię nostræ intelligũt: negat Deũ iniunxisse, ut credamus, Christi corpus pani adesse, & cũ pane simul mãducari: negat Christum usquam præcepisse, ut corpus ipsius edamus. Ferè em̃ in forma utit̃ ipsis uerbis quibus incusaui Sacramentarios, ꝙ præter uacua symbola nihil relinquant in cõmunione: affirmat præter panem & uinũ nihil adesse in Cœna Dñica, ꝙd ad rei substantiã attinet: Panẽ Dñi p̃ter panẽ nihil quicquam esse amplius: Christianos nihil aliud ꝙ panẽ et uinũ comedere & bibere, quãtũ attinet ad substantiã rei. Sacramenta significare & testari, & nõ p̃sentia facere signata. Clamitat, Scythis oĩbus immaniores esse, ꝙ asserũt Christi corpus edi in Synaxi. Alligat corpus Christi dexteræ Dei, ut nusquã nisi isthic esse possit: ex falsis p̃missis infert, ꝙ in Eucharistia edi nõ

posſit. Affert argumenta quæ uehementer moueant infideles in Ethnicorum ſchola, nihil uerò momẽti habent in Eccleſia Dei apud Chriſtianos, nullam uidelicet gẽtem, nullum populum, nullas urbes inueniſſe talem doctrinam, qua docetur edi corpus Chriſti, & bibi ſanguis illius, (quam blaſphemo ore uocat commentum) aut inuẽtam & receptam eſſe, prodidiſſe, Quis pius contradicit, à nulla gente, à nullo populo inuentum, et ex inuẽtione alicuius gentis non receptam eſſe doctrinam de manducatione corporis ac ſanguinis Domini. Filius qui eſt in ſinu æterni Patris, ipſe reuelauit nobis, nõ homines, non gens aliqua, non populi inuenerunt, ſed acceperunt reuelatam in uerbo Dei, ad fidem Chriſti conuerſi. Zuinglius obrutus tenebris lucem dicit eſſe tenebras, impiè blaſphemat, nihil eſſe unquam tenebricoſius auditum, quàm carnem & ſanguinem

sanguinem edi. Ecclesia audit hoc & credit ex uerbis eius qui lux est: si tenebricosa est hæc doctrina, tenebricosa est tenebris, hoc est, incredulis, quorũ mentes excęcauit deus huius sæculi. Aequè blasphema & sacrilega est ista Satanica argumentatio uel uerius irrisio: Panem symbolicũ esse uiuum & carneum Christi corpus, abhorret à fidelium sensu. Ergo Christi corpus non adest in Sacramento. Abhorret hoc quidem à communi sensu & ratione, sed nõ abhorret à fide inhærente ueracissimis uerbis Filij Dei: Etiamsi nemo Zuinglianorum credat, nunquid propter illorum incredulitatẽ mendax est ueritas, & inanis Christianorum fides? A cõmuni sensu abhorret, uerbum Dei assumpsisse carnem, Filium Dei hominem factum esse ex Maria uirgine, Dominum gloriæ crucifixum, resurrexisse à mortuis. Abhorret à communi sensu resurrectio mortuo

rum. Et quis non fidei articulus abhorret à rationis captu etiam fidelium? nunquid communis sensus præiudicabit ueritati scripturæ, eoq; inducet fideles, ut magis sensum suum & dictata rationis quàm uerbũ Dei sequantur? Cæterũm apponam uerba Zuinglij, quò minus calumnijs, quę scribo, obiecta sint, & plus apud omnes non præfractè incredulos fidei habeant. Sic iste scribit in responsione ad Lutheri cõfessionem. Ecclesiæ nostræ cum hæc uerba (Hoc est corpus meum) prælegi audiunt, nequaquam eam sententiam quam uel Lutherus uel Papa tradidit, ex illis hauriunt; sed panem corporis Christi, quod pro nobis in mortẽ est traditum, figurã uel symbolũ esse intelligũt. Dũ nos ad fidem relegat Lutherus, nunquam sanè demonstrare poterit, q Deus unquam illud nobis iunxerit aut commendarit, ut uel panem hunc corpus ipsius esse, uel corpus

Verba Zuinglij de uarijs signis.

pus ipsius in pane cõtineri, uel illi ad esse, cũ pane simul à nobis manducari credamus. Quod.n. ad rei substantiam uel essentiam attinet, prẽter panem & uinum non quicquam adest.

Paulus quotiescunq; de mãducando uel bibendo differit, non aliud addit q̃ panem uel poculũ, idq; nõ sine clarissima articulorũ & demonstratiui signi appositione. Dicit enim: panem hũc, uel panem illum, de q̃ nos loquimur. Hunc hũc panem, qui prẽter panem nihil quicquam est amplius. Quomodo aliquis corporis ac sanguinis Christi reus fieri possit, cũ tamen nihil aliud quàm panem & uinum, quod ad ipsam rei substantiam attinet, comedamus & bibamus?

Postquam, Probet seipsum homo, dixit, adhuc tantum panem & poculũ uocitat, unde certo & infallibili argumẽto colligimus, Paulũ in hac Cœna nõ quicq̃ aliud q̃ panem substantialiter mãducari credidisse. Alioqui

enim sic dixisset: Homo sic sese antea probet, ne quid dubitet, quin Christi carnem & sanguinem in Cœna hac substantialiter manducari credat, & sic de pane illo edat. Sed illud nequaquàm dicit, quin potius postquam satis fideliter, ut nosipsos probemus, præcepit, denuo nos admonet, ut ad panis & uini manducationem nos probemus.

Idem in secunda responsione: Sacramentalis essentia non uera illa rei alicuius essentia est, sed non quicquam aliud quàm alterius illius & ueræ essentiæ signum & repræsentatio est. Cum quis rem aliquam Sacramentum uocat, hanc nō nisi signum esse dicere uult, non ipsam essentiam rei, quæ signo denotatur.

Sacramenta significant & testantur, & nō præsentia faciunt signata.

In Epistola ad Matthæum Alberum Ecclesiastem.

Estne Christus in quoquam corporaliter?

poraliter? Minimè. Quid ergo de corporis manducatione quærimus? Tunc editur corpus eius, cùm creditur pro nobis cæsum.

Quid fortius ad contemnenda uniuersa commenta de corporali & essentiali corpore Christi, in hoc Sacramento afferri potuit, quàm quòd caro non prodest quicquam? Obex hoc uerbum est, quo excludere licebit omnes conatus eorum, qui de essentiali corpore Christi loquuntur: perpetuò enim obtendemus hoc unum ueluti clypeum: Caro non prodest quicquam.

Nostri hoc ipsum quod Iudæi capere nequibant perfricta fronte adserunt, nempe corpus Christi hîc edi, Scythis omnibus immaniores, quod ipsorum uerba planè indicant. Alius enim ex præsepi eum, alius in cruce adhuc palpitantem edit. Ita enim pronunciant: Nos corpus Christi ueraciter & corporaliter edimus,

ut in præsepi iacuit, ut in cruce pe-
pẽdit, quo nihil insulsius dici potest.

In Apologia ad sermonem Lutheri contra Suermeros.

Christus, ut corpus ipsius in memoriam corporis sui comedamus, nusquàm præcepit, sed uerbis istis laudes & gratitudinem in sui memoriam nobis commendat, quę pro illo beneficio illi debentur, quòd corpus suum in mortem pro nobis dedit.

In expositione negocij Eucharistiæ.

Corpus Christi sic est dexterę Dei alligatum, ut nusquam nisi isthic esse possit usq; ad extremum iudicij diem. Vnde sequitur, quòd in Eucharistia edi non possit.

Non refertur: Hoc facite, ad corpus edere, sed ad gratiarum actionem, uidelicet, quòd istam debeamus in memoriam eius facere.

In subsidio de Eucharistia.

Quid tenebricosius quæso unquã auditum

auditum est, quàm carnem et sangui nem in ista panegyri edi, cũ panis & uinum absumuntur? Quæ gens, qui populi, quæ urbes à natis hominibus tale commentum uspiam, nõ dicam inuenerunt, sed aut inuentum aut receptum esse prodiderunt?

Panem symbolicum uiuum et carneum Christi corpus esse, sic abhorret à fidelium omnium sensu, ut nemo ex nobis unquam crediderit, sed potius per negligentiam aut inertes incogitatum reliquerimus, aut per stulticiam nos ipsos à cogitatione reuocauerimus.

POstquam probaui, Sacramentarios dissentire inter se, & pugnantia adferre in distrahendis uerbis Eucharistiæ, in hoc tamen cõuenire, quòd tollunt ex communione substantiam præsentis corporis et sanguinis Domini, utcunq; uerbis aliud sonantes, uideri uelint, se id facere minimè: Atq; ita depuli ac

cusationes in me intentatas: defungar nunc molestia remouendi crimina & probra, quibus obijciendis aduersarius caninam eloquentiam exercet, et primum amoliar criminationem atrocem de turbata pace, & resuscitata contentione. Compendio autem & uerè ex Apologo respondetur ad tragicos istos clamores, quibus me insimulat, quòd turbem res pacatas ac tranquillas, ouem à lupo accusari deturbata lympida aqua. Ego enim neq; turbaui Ecclesiam mota controuersia de Cœna Domini, neq; contentionem resuscitaui: at utrumq; fecerunt falsi dogmatis autores. Confert meus accusator causam excitatæ contentionis in Diabolum: queritur, ignem eius artificio accensum esse: idem olim conquestus est, annis aliquot, antequam uocatus sum ad ministerium Ecclesiæ, quando nihil minus suspicari & cogitare potui, quàm me deuenturum unquam

Qui sint turbatores pacis, & resuscitauerint contentionem in Ecclesia de Cœna Dominica.

unquam ad hãc dimicationem, quan quam non omnino negligenter instruerer ad futura certamina. Illius tum hæc fuit querela, cõtentionem illam de Sacramento suscitatam fuisse à Diabolo ad impediendum, uel potius abrumpendum cursum Euangelij. Si Diabolus iam tum excitauerat tragœdiam, qua fronte nũc me reum peragit commotæ discordiæ? Per quos uero turbator Satanas accendit ignem nocentissimi incendij? quibus usus est operarijs? Nonne Carolstadio, Thoma Monetario, Melchiore Pellione, Nicolao Pelargo, & similibus uerè turbulentis organis Satanæ, quibus accessit Zuinglius cum tota sua schola: per hos ignem accendit, nõ per Prophetam Dei D. Lutherum, missum ad destruendum, nõ erigendum uel firmãdum errores, quem hostes etiam organum Dei (non Satanæ ad excitanda incendia) fuisse, nolint, uelint,

necesse habent fateri. Iustè ergo istos incendiarios accusaret, non me admisceret, qui aliquid operæ & laboris confero ad extinguendum incendium, cui Sacramentarij tot annos subministrant fomenta: nec faceret, ut aliquis incendiarius, qui non solum clam supponit materiam paratam ad incendia, sed palàm etiam iactis ignibus accendit ædificia, & accurrere prohibet, qui opprimant incendium, atque etiam restinguentes incusat, quòd flammas subiecerint.

Hic fortiter quidem reclamabit, sed frustra: dicet concordiam constitutam, & pacem fuisse factam, me renouata contentione, res pacatas turbasse, me conclamasse ad arma: nam talia multa leguntur in eius inuectiua. Quando uero, ubi, cum quibus, per quos facta est, aut consensio, aut concordia pia, aut pax

uera

uera constituta, quibus rerum præsentium non prorsus ignaris persuadebit, controuersiam compositam & deductam esse ad pacem Deo gratam, Ecclesiæ uero salutarem. Tentata quidem est res in conuentu Marpurgensi, ut dissidium tolleretur & restitueretur concordia: de aliquot partibus doctrinæ conuenit inter collocutores, sed mansit dissensio in ea parte, de qua componenda præcipuè erat colloquium institutum, & discessum est ea conditione, ut quiesceret utrinque acrior concertatio, & conflictus hostiles intermitterentur. Postea pauci quidam pro se egerunt de conciliatione, & præ se tulerunt, se discedere ab opinione sua ante defensa, amplecti autem sententiam Ecclesiæ Vuittenbergensis, de qua cõsensione quædam formula perscripta extat. Alij interea temporis non

Conuentus Marpurgensis.

desiterunt in concionibus inculcare, & scriptis non tam defendere quam longius disseminare semel acceptũ errorem, donec tandem exiit post mortem Zuinglij liber eius ad Christianos Principes, qui liber factæ qualiscunq; pacis conditionem uiolauit, & primum omnium occasionem dedit D. Luthero, iterum suam confessionem scribendi, ac pro hæreticis damnandi pertinaces Sacramentarios, cum intelligeret, Deo & hominibus eos illudere, ac futate & fraudulenter omnia egisse & agere, suaq; obfirmatis animis stabilire, & dilatare. Quamobrem uehementer exarserunt Sacramentarij, præ alijs irritati Tigurini cupidi uindicare honorem sui magistri ruerunt in arma, & plusquam satyrice incesserunt D. Lutherum, nihil parcentes seni optime merito, multis grauissimis laboribus fatigato. Instauratum bellum non segniter adiuuerunt auxiliares

Liber post mortẽ Zuinglij ad Principes Christianos.

Tigurini belli Sacramentarij instauratores.

xiliares copiæ, nemine iam repugnante, circumtulerũt uictricia signa; agitatę sunt in Anglia disputationes de Sacramento, ubi æternum sine fine regnum sibi promittebant: multi libri ibi impressi, non dissimiles primis, plericę etiam peiores circumuolitârunt. Hoccine est extinguere incendium? hoccine pacem componere? hoccine concordiam constituere? an uerius inflammare & subministrare materiã incendio, oleumq; camino addere? pacem piam & concordiam disturbare? Quomodo ardens ignis extinguetur, non subtractis sed suggestis undiq; fomentis?

Disputationes in Anglia de Cœna Dominica.

Atqui scripserunt inter se mutuas consensiones, quibus spes erat omnes contentiones prorsus extinctum iri, nisi importuni homines obstitissent. O bone, obsecro te, expedi nobis, quomodo extinguerentur cõtentiones eiusmodi consensionibus, nisi forta sse inter Sacramentarios?

Mutua Sacramentariorum consensio.

At quid opus erat illis multas consensiones scribere, si tanta inter eos fuit consensio, quantam cõtendit aduersarius fuisse?

Extinctis contentionibus inter socios eiusdem erroris, nunquid statim extinctæ essent apud alios errorem execrantes? num apud hos est facta consensio, quando Sacramentarij inter se consentiunt? Iudicent omnes prædicti communi sensu, num sit commoda ratio Deo placens, sic sepeliendi & componendi dissidia, dum inter sese conspirant, disputant, scribunt pro sua hæresi, eamque spargunt & corroborant, an non ea ratione firmetur impia consensio, & statuatur concordia perniciosa Ecclesiæ, qualem omnes hæretici, atque unius factionis maligni homines optant, constituunt, fouent & muniunt: qua cùm potiuntur, bene quieti gaudent, res suas esse constabilitas

tas & pacatas: cùm oppugnatur, deq; ea in dubium ueniunt, fremunt, tumultuantur, & omnia mouent sursum ac deorsum, Sicut inquit CHRISTVS Lucæ capite undecimo: Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet: Eiectus autem ab homine perambulat per loca arida, quærens requiem. Talem pacem non uenit CHRISTVS mittere: Negat, se dare pacem suam, quemadmodum mundus dat: neque impiæ pacis & consensionis in falsa doctrina studium discipulis suis commendat, sed sanctæ concordiæ, qua in DEO unum sunt: Non uult Mundi pacem firmari, sed impugnari & euerti. Res autem pacatas Satanæ disturbare, non est incendium accendere, nisi quòd male urit Satanam, eique confœderatos: non ad ar-

Pax Christi qualis sit.

Concordiæ Sacramentariorum obsistens non uiolat pacem.

ma conclamare, non bellum mouere, nisi contra Diaboli coniurationē: neq; de uiolata pace, de motis contentionibus, de cōcordia turbata accusandi sunt, qui obsistunt pernitiosæ concordiæ, ueritati, gloriæ Dei & animarum saluti aduersanti, sed illi qui exosi pacem & concordiam Ecclesiæ Dei in incorrupta doctrina et fide consentientis, conspirant inter se, & decertant pro suis falsis doctrinis & impia concordia stabilienda.

Sacramentarij errones.

Vagantur per Ecclesias libri Sacramētariorum referti opinionibus & erroribus uarijs, quibus imbuti nonnulli & opportunitatem nacti alios inficiunt: admissi quoquomodo alicubi ad publicè docendum, pacatas Ecclesias perturbant. Multi errones, hinc inde pulsi currunt nō uocati, & uel in angulis clam prædicāt, aut ut commoueant plebem seq; insinuent, offerunt se ad publicas disputationes, postulant doctrinam,

traditam

traditam & acceptam magno consensu, in disputationem trahi, & in dubium reuocari apud populum.

Sacramentariorum separatio ab alijs Ecclesijs in ritibus.

In suis congregationibus omnia innouant, abrogant ritus non inutiles, sine ulla necessitate. Separant se, ne quid simile aut commune habeãt cum Ecclesiis quas consensus Catholicæ doctrinæ, & multiplex donorum spiritus gratia testatur esse Ecclesias Christi. Alicubi sinunt infantes non baptizatos mori, quia scilicet spem faciunt sine baptismate salutem consequi posse, & plebeculæ persuasum uolunt, per baptismum non regenerari aut saluari quenquam: baptismo obsignari tãtum & externa professione declarari, iam ante esse sanctos & salutis participes, qui accipiunt baptismum. Sacramentum Cœnæ Domini non dant domi ægrotis eo tempore, quo maximè indigent consolatione, subdolo nimirum consilio Satanæ, ut circum

Sacramentariorum opinio de Baptismate.

uenti facilius, periclitentur de salute. Alibi admittunt ad communionem non antè exploratos, priuata absolutione prætermissa. In Decalogo, ad defendendum ἀνομαχίαν Carolstadij, diuidunt primum præceptum in duo, & peculiare præceptum faciunt de imaginibus abolendis. Quidam ueterem eamq; utilissimam distinctionem temporum et festorum, Visitatas item lectiones Epistolarum & Euangeliorũ abrogant, bona haud dubie intentione Diaboli, ut nihil boni reliquum fiat de Euangelio, de Baptismo, de Cœna Domini, licet spiritu suo pleni angelorũ religionem ostentent. Hæc facere et ad hunc modum res administrare, quis non uidet id uerè esse turbare Ecclesias, parare et alere incendia, discordiam inuehere, augere & munire? quæ cum Sacramentarij faciant, idq; sibi laudi ducant, accuset istas faces & Erynnias, non me talium studiorum

diorum atq; operum expertem: faceſſat querela, me ſopitos ignes reſuſcitare, uulnus cicatrice obductũ refricare. Malim ego eſſe extinctos potius, quàm, ut appoſitè ad rei ueritatem ille loquitur, ſopitos & tectos cineribus: malim uulnus ſanatum ex ſolido, q̃ leuiter obductã cicatricem.

Si cum Chriſti Eccleſiis conſentirent, ſi abieciſſent errorem, ſi ueram pœnitẽtiam egiſſent, tum faterer extinctos eſſe, et probe curatũ uulnus: inhumanum dicerem, ſanata ſaucia re, ſopitos ignes reaccẽdere, id quod etiam proteſtatus ſum in farragine, præſcius aduerſarios grauaturos me accuſatione de contentionibus reſuſcitatis. Iam uero ignes non ſunt extincti, ſed accenſi ardent & uicina quæq; corripiunt: uulnus non eſt ſanatum ſed oblitum: non deteſtantur hæreſin, non agũt pœnitentiam, ſed ignea ſua tela eiaculantur, peſtis ſæua graſſat ubiq;. Ego in cõmuni peri

culo accurro, & alios oro ac moneo, ut accurrant ad extinguendos ignes, uel saltem reprimendos, ne inuadãt totam domum Ecclesiæ, neúe eam deuastent. Suo igitur se laqueo implicant, & cuius filij sint declarant suis factis incendiarij, qui alios laborantes incendium noxium reprimere, calumniantur turbas dare.

Quanquam autem cætera conuicia & maledicta congesta in me unà collabantur, subuersis columnis, quibus illa innixa incumbũt, tamen subtraham fulcimenta quædam probrosæ criminationis. Verecundia me prohiberet falsissimis obtrectationibus & calumnijs repellendis immorari, nisi me huc adigeret aduersarij impudentia, quem cùm non puduerit obijcere, non molestè feret candidus lector, me obiecta diluere, modo tamen seruato, ne quæuis futilia maledicta magna leuitate proiecta persequar.

Ex

Ex humili haud dubie spiritu & singulari quadam modestia exprobrat (quia non ignorat se inter doctissimos in sublimi culmine stare primo loco) indoctos esse & non ferendos patronos bonæ causæ, quotquot audent Sacramentarios attingere. Facile equidem & libenter cedo cuilibet de laude ingenij, doctrinæ, & talium rerum: non de his mihi cum quoq; certamen est: scio quàm mihi domi curta sit suppellex, quantis donis alij præcellant, de ueritatis defensione et possessione non me cedere ijs qui uidentur esse columnæ, ac ne angelo quidem de cœlo, si quis superbiam & temeritatem interpretetur, feram id patienter. Habeant sibi suas laudes, sua præconia, mihi ne adimant potestatem à Deo datam, quin liberum sit fidei integritatem tueri pro meæ paruæ mensuræ modo ac facultate, meosq; obolos (si talentum non est datum) tanquam ser

Caluini humilitas et modestia singularis.

uum fidelem expendere, et bene collocare ad domini mei usurã. Quamuis igitur, quantum ad doctrinæ attinet commendationem, multo plus desiderem ipse, quàm alij possint requirere, nemo tamen syncerus de aliorum bonis æstimator mihi uertet uicio, si profitear, necessitate inuita bili coactus, me sedulo operã dedisse ab ineunte ætate, ut solidam & certam aliquam cognitionem doctrinæ Christianæ compararem mihi, meq; non uana persuasione inductum existimare, non ita tempus, sumptus & labores inaniter impendisse, neq; Deum, non minus paratum quàm diuitem ad largiẽdum petentibus ipsius dona, gratiam & auxilium suum subtraxisse, ut non assecutus sim doctrinam necessariam, cum pro meę fidei & salutis certitudine, tum pro commissi officij non infructuosa administratione, & nõ tantum profecerim, ut uocem supremi pastoris ab ululà

tu

tu luporum dinoscere, & inter dogmata suppositicia discedentia à regula scripturę diuinitus inspiratæ, & inter genuina congrua regulæ fidei queam discernere: neq; adhuc quotidie tam infœliciter bonas horas, quæ alijs, in nugis & infrugiferis, aut etiã noxijs rebus consumptæ, malè pereunt, impertire studijs sacrarum literarum & lectioni interpretum probatæ fidei, ut non faciam aliquam accessionem doctrinæ & pietatis. Diligentiæ adhibitæ in bonis artibus discendis testimonium publicũ accepi ante annos duos & uiginti, ꝓfectus in Theologia inde post annos decẽ, cũ in plerisq; celebribus Academijs & Ecclesijs, præcipuè Witebergę auditor fideliter explicantiũ doctrinã cœlestẽ, collatis sentẽtijs, inquisiuissem, qd firmũ et orthodoxę fidei cõsonũ, & in patriã ad curã Ecclesię docendę uocarer, Taceo multa testimonia nõ emendicata, neq; extorta, sed

ultro delata à multis laudatis uiris, cognitis ex fructibus spiritus boni, quòd Ecclesiæ Dei sunt uera membra, quorum quanta merito est autoritas, ueritas, & indubitata fides, tantæ se uanitatis coarguit uituperatio unius aut paucorum, præsertim cum hi de ignotis pronuncient ex prauis affectibus, illi recto iudicio testificentur de perspectis & notis.

Indoctus aũt cupio discere, quem aduersarius dignetur annumerare doctis Theologis: si præformabit talem aliquam ideam, qualem Plato de optima forma reipub. Cicero de perfecto oratore effinxit, ubi inuenientur tam perfectè docti? Vbi erũt Episcopi idonei ad docendum, et potentes ad obturandum ora contradicentibus sanæ doctrinæ? Vbi pastores qui attendãt gregi acquisito precioso sanguine Filij Dei, quales præfici Ecclesiæ uolunt Christus & electus eius Apostolus Paulus? tum

nec

nec ueteres Episcopi fuerint satis do
cti, nec ijdem ipsi, quos inter suos su-
spicit pro eximie doctis. Si inter in-
doctos habet, nõ institutos in Zuing
lij schola, non applaudentes Sacra-
mentariorum placitis, nihil mihi pu-
to euenire insolens, si me despiciant,
qui in ordinem redigunt excellentis
doctrinæ uiros, quotquot aduersus
eos unquã aliquid scripserunt, quan
doquidem etiam Lutherus eximiè à
Deo doctus Zuinglio habitus sit in-
doctior. Si doctorum albo dignos
censet non alios, quàm qui ex Geo-
metricis rationibus metiantur cor-
poris Christi præsentiam in Sacra-
mento Cœnæ, & philosophẽtur cor
pus Christi non posse ideo adesse in
communione, quia ascendit in cœ-
lũ, eo quòd ex Geometrica demon-
stratione corpus physicum uno loco
concludatur: & ex Philosophia colli
gunt multa absurda contra credi-
tam præsentiam substantię corporis

Qui Sacra-mentarijs sint indocti.

Christi: malo indocti nomen habere quàm ista ratione uel à doctissimis aliquam laudem doctrinæ obtinere. Si uero inter doctos locus erit aliquis promenti ex scriptura uetera & noua, & scopum principalem scripturæ tenenti, quòd oportuit Christum pati, & tertia die resurgere, & prædicari in nomine eius pœnitentiam et remissionem peccatorum, simplici item fide assentienti uerbo Dei, etiamsi uideatur aliquid definire secundum Philosophiam absurdum, secundum cursum usitatum naturæ impossibile, ac minimè demonstrabile ex sapientia rationis, si tum Sacramentarij me fastidiant, saltem alij nō iniqui iudices, uel postremum locum inter doctos mihi concedent: nec uerebor absq; suspicione arrogantiæ gloriari cū Propheta, & quolibet piè docto in regno cœlorum docente, Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio

tio mea est, Super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui. Mirum uero, si pro certo credit, tam indoctos esse, tam nullius precij, quos cõtemnit extremè, magno fastu, curtãtum periculi metuat, magnoq; molimine præueniat, ne tota Europa cõflagret. A doctis, à sapientibus, autoritate & eloquentia præditis solet grande esse periculum, non ab indoctis, non à stultis & infantibus, sicut testantur historiæ, & uulgato dicto fertur: Indoctos non suscitare hæreses.

At impulit eum solicitudo, ne decipiantur rudes, & simplices: hoc enim prætexit deceptor, quemadmodum Iudæi seducentes populum, accusabant Christum reducentem seductos in uiam rectam, quòd seduceret turbas, & ad Pilatum dicebãt: Recordati sumus, quòd iste seductor dixit, se tertio die resurrecturũ. Verbum Dei neminẽ seducit, neq;

nos quenquam seducimus, sed docemus Verbum Domini incorruptum, sed obsistimus Pseudoprophetis, ne oues Christi seducat adulterantes sermonem Filij Dei, & ut seducti reducantur ad boni pastoris ouile, id nobis curæ est. Simplicibus seruit noster labor: rudibus, ut eruditantur, scribimus, nō inflatis opinione suæ sapientiæ, non seducentibus persuasibilibus sermonibus humanæ sapientiæ, non prudentibus apud semetipsos, quibus fumus odor mortis ad mortem; rudes & simplices nos lucrifacere, instruere, confirmare nobis satis est. Filius Dei discipulis rudibus, & turbæ simplici prædicauit, paruulis reuelantur quæ abscondit Deus à sapientibus sæculi. Discipulos suos Dominus arguebat stulticiæ, eo quòd non crederent omnibus ijs, quę de ipso scripta erant in Mose & Prophetis. Si igitur stultitia est non credere scripturæ Prophetiæ

eæ & Apostolicæ, stultitiæ notam non effugiunt, qui increduli trahunt scripturam ad suum sensum, quem contendunt esse mentem Christi, sed uno apice non uiolenter depraua to, probare haud ualent neq; unquam probauerunt. Vtinam uero, iuxta consilium Apostoli, stulti fierent sapientes in suis oculis, & post habita sua sapientia amplecterentur sapientiam excedentem omnem humani ingenij captum, tum uere saperent, non paterentur se adduci, ut sapientiam Dei haberent pro stultitia: nō in eos uere competeret, quod scribit Apostolus: Cum se putarent esse sapientes, stulti facti sunt: Qui putat se aliquid esse, cùm nihil sit, decipit seipsum.

Quod atrocius conuiciatur, insanos nos proclamans, dolemus potius de blasphemia effusa in Dominū gloriæ, quàm de contumelia irrogata nobis. Non enim nos contumelia

afficit, sed Christum, cuius doctrinã profitemur, propter quam nos insaniæ nomine defœdare nõ erubescit: & æquiori animo ferimus hanc iniuriam, quia scimus Prophetas Dei habitos pro insanis: Apostolos repletos Spiritu sancto in die Pentecostes irrisos esse pro ebrijs: & Lutherum sancto zelo commotiorem in Phanaticos à Zuinglio hoc mendacio deformatum in quadam Epistola, quòd ui ctus iræ affectu insaniret & furereti Sanitas mentis est tenere doctrinam sanã: integri & illæsi in fide sani sunt: econtra insania est mẽte corruptum esse per doctrinam falsam. Insani ex scriptura iudicantur corrupti in fide. Suam ergo insaniam detestentur Sacramentarij malè sani in fide doctrinę de Cœna Dñi, qui Satanico furore perciti in quibusdã suis cõuenticulis omittunt hæc uerba: Hoc est corpus meũ, cũ Eucharistię sacrę peragit, nõ furiosè irruant in sanę doctrinæ tenaces.

Insani qui sint.

Obiecit præterea mihi Thrasonicam arrogantiam, abhorrenti nō minus à moribus glorioſi Thraſonis, quàm gnatonicam artem auerſor, et qui tam Thraſonem agere nō noui, quàm aſſentari neſcio. Profiteor me orthodoxę fidei uindicem, nihil facio alienum à mea profeſsione, quum et in baptiſmo id me facturum promiſerim, & functionis meę ſacræ cōditio id à me requirat: animum bonum & intrepidum præ me fero, facio id nō Thraſonicè, ſed cauſæ bonæ fiducia, certus Deum permittere ueritatem oppugnari quidē, ſed nō expugnari, & uictoriā eſſe nō penes eloquentiā mendacem, ſed balbutientem ſimplicitatem. Verè agitur cauſa publica, non agere nos fingimus. Eccleſiæ enim negociū nō noſtrū agimus: non noſtra ſed Chriſti eſt doctrina de cōmuniōe corporis ſancti et ſanguinis in Euchariſtia. Si noſtram uellemus cauſam agere, noſtris cōſulere cōmo

dis, quieti abstineremus à certamine, unde nihil nisi molestiæ & acerbissima odia, gratiæ & mercedis loco, ab hominibus ad nos redeunt.

Si autem fateamur pugnare nos, non solum pro Ecclesiis Saxoniæ, sed adderemus etiam decertare nos pro alijs longius ubicq; remotis, propter quas libentius etiam latino scribimus sermone, nulla fuerit iactantia. Vt enim omnibus sumus debitores constituti membra in uno corpore, ita subseruit noster labor toti Ecclesiæ. Fingitur autem ab aduersario, nos iactanter prædicare nostras pugnas: proferat, si potest, ubi nos iactemus uel primis uel ultimis paginis, quod pro tota Saxonia pugnemus. Vt natura & assuefactione amo uerecundiam & modestiam, & inde à pueritia has uirtutes semper mihi gratissimos comites habui, ita spero eas elucere, & manifestas esse omnibus aliqua modestia præditis:

quam

quamuis libertas sine respectu totius mundi libere agendi causam, quę non est nostra, sed Christi, nobis eam personam circundet, ut uideamur ab illis uirtutibus discedere. Quid potuit à me humilius, submissius & modestius fieri, quàm quòd excellentioribus donis, præeminentibus, tanquam præceptoribus, delato suo honore, confessus meam imbecillitatem, deprecatus sum, ut ad extinguendum incendium, inflammatum à Sacramentarijs, conferrent suam operam: at ne hic quidem tam humiliter submisso parcit, sed mordet, irridet, & insultat. Adeo nihil à Sycophantæ morsibus tutum est. Delectus (inquit) à se ipso bellator cedat locum idoneis ducibus. Me uero Imperator summus extrusit in hanc militiam, non ipse me ultro ingessi: Dei uoluntate uocatus sum, & legitimè constitutus, quanquàm per homines, in hac mea sta-

tione, ut militem aduersus mundum & portas inferorum. Ad me pertinere arbitror æquè, ut ad omnes positos in specula ad custodiam Ecclesiæ, quod Apostolus hortatur Timotheum, ut exerceat militiam bonam.

Quis autem Sacramentarios delegit ad istam διμαχίαν, ut arma moueant sedenti ad dextram Patris? ut signa infesta inferant militantibus ex sui Imperatoris iussu pro lege & grege? Solent boni duces exhortando incitare milites, laudibus & promissis animum ad pugnandum addere, non increpare pugnantes pro uirili, non uituperando & maledicendo deterrere. At glorioſum sibi ducunt Sacramentarij cum ducibus confligere, & ab his præclaros triumphos reportare: à gregarijs & leuis armaturæ militibus nulla redit amplior gloria, nullum insigne erigitur trophæum. Non referunt

ferunt scilicet ista speciem iactantiæ Thrasonicæ. Sustinuerunt autem ductores belli molem, conflixerunt acriter, & repressérunt Sacramentariorum irruptiones: aliqui dimicant aduersus alias sectas: plerique adhuc suo stant loco congredi parati: plerique laboribus & ætate defessi succedentibus in locum qui fessos subleuent, subministrauerunt satis armorum ad gerendum bellum, & custodiendam fideliter acceptam ab eis doctrinæ puritatem. Non cesserunt Sacramentarij principibus uiris, uicti etiam pertinaciter rebellantes, quos tamen honorare se simulant: neque cessuri, si euocati iterum proditrent in pugnam, quanquam dum belligerantur contra eorum doctrinam, reuera iam illos oppugnant. Neutiquam fastidiunt putidos patronos suæ hæresis Carolstadium, Sucickfeldium, & similis notæ Sa-

Patroni Sacramentariorum.

tanæ satellites; nemo tam uilis, & tam profligati pudoris est, si castra ipsorum sequatur, quem non eximium habeant. Cæterùm, si quis arma inferat, fastidiosè aspernantur, nullóq; numero dignum existimãt.

Porro tam auide aduersarius captat, & congerit undiq; materiem insectandi, ut, etiam umbratilem quietem obijciat, somnians fortasse, me exortem esse communis fortunæ sustinentium curam pastoralem Ecclesiæ, idq; his difficillimis temporibus; me solum, etsi una nauis uehat Christi discipulos, in portu nauigare, nullis me impeti procellis, me unum diligi, & in sinu foueri à mundo, qui non potest non odisse angues opera eius mala, me denique habere pectus ferreum, non tangi ærumnis, non moueri luctu & tristitia Ecclesiæ undiquaque afflictæ. Quòd si tam durus essem, uterer peruulgata hoc seculo sapientia, o-

ciosus

ociosus sederem spectator, non mihi conuiciator iste faceſſeret molestias sua insectatione, non uehementiam exprobraret mihi. Nam hanc quoque in uituperium trahit: exclamat, pudendum esse in sene (annos enim & senium etiam meum computat) nondum æstum efferbuisse. Nimium frigent homines tam florentes ætate quàm sensu: pauci feruent zelo pro domo & gloria Dei. Non ita regnum obtinerent Pseudoprophetæ, non tam male, ut nunc haberet Ecclesia, nisi multi frigidiores glacie, multi tepidi, neque calidi, neq; frigidi essent, sed zelus domus Dei eos comederet, & tamen iste postulat compesci feruorem: zelum & iustam commotionem calumniatur esse uehementiam, phrensin & insaniam. Non diffiteor me acrius aliquando insurgere in hostes obstinatos, adhibita tamen moderatione, ne metas transgressus morus

Iusta commotio non est insania.

uehementior in uicium abeat. Possumus autem aliquid humanum pati, ut facile declinatur à medio ad extrema: Verùm siue uehementiores sumus, Deo sumus, siue moderati sumus, fratribus sumus: charitas enim Christi urget nos. Accusatoribus nostris rectè opponimus illud Gregorij Nazanzeni ex oratione dicta in præsentia 150. Episcoporum, ubi inquit: Dei milites in alijs mansueti sunt, sed pugnaces pro fide. Et ex oratione de reconciliatione Monachorum, in qua ait: Qui in alijs rebus modestissimus est, in his (in certaminibus de Religione) fit feruentissimus, & qui mansuetus, bellator euadit. Item illud Augustini dictum ex Epistola centesima quadragesima septima: Si quid in disputando pro fide sua, & pro Ecclesiæ charitate dixit forta sse feruentius, quod tua gratitas nollet audire, non illa contumacia, sed fiducia nominanda est. Alij uehemen-

uehementius commouentur ob res leues: seruos Dei quisquam uituperat, quòd grauius de grauissimis malis & damnis commoti æstuant affectibus? Motibus grauioribus alios affici, repræhensores seueri uident: at ijdem nolunt considerare, quàm magnis iustisq; causis moueantur, Momi isti offensi paulo acrioribus motibus, non sentiũt se propter res nugaces longe uehementioribus cõcuti, perspicaces quidem ad aliorum festucam, ad suam autem trabem cęci. Conferantur omnia mea scripta cum una Epistola aduersarij criminatoria, nihil in cunctis libellis meis reperiet simile uehementiæ eius tumultuanti, & quidem iniustè. Puto autem, si licet coniecturis uti, suspitionem uehementiæ caput esse, unde fluunt cæteræ uituperationes, & me delatum esse, ac deformatũ mendacijs & obtrectationibus, partim à Sacramentarijs profugis, qbus mole

stum est, sibi occlusam esse uiam, magistratu & ministris harum Ecclesiarum aduigilantibus, ne admissi in ouile oues sanas morbido contagio inficerent, partim ab alijs addictioribus Sacramentariorum sapientiæ in his urbibus circumuagantibus sui quæstus gratia. Permulti mecum conscij sunt, quàm isti delatores in alijs locis mendacijs nos conspurcauerint, & quid quibusdam in more & usu sit, qualem inferant mentionem, quales agitent sermones in suis conuenticulis: talibus delatoribus fidem habere graues & sapientes uiros neutiquam decet: nec dispar culpa est eorum qui delationibus suis aliorum famam lædunt, & qui stultè creduli criminantur, & maledictis incessunt alios, immemores præcepti Domini, prohibentis falsum dicere & accipere testimonium contra suum proximum, & obliti rationis reddendæ coram tribunali iustissimi

stissimi iudicis de quocunq; uerbo ocioso. Si delationibus non est ad insectationem adductus, sed impulsus suis affectibus, progressus ad tam atrocem criminationem & maledicentiam, nimis laxas habenas soluit iracundiæ, & cæco impetu, quicquid atra bilis suggessit, in me proiecit.

Defensionis necessitatem falso prætexit suis affectibus: aliud enim est causam bonam bono modo defendere, aliud malam pertinaciter tueri contentionibus, maledictis & calumnijs. Si adeo non perspicit ueritatis clarissimam lucem, uel clausis oculis non admittit, ut putet se agere causam optimam, quam defendere iustum sit, omittat insectationes & conuicia. Habet bona causa satis præsidij in ueritate repositum, non indiget istis adminiculis: suspecta redditur & corrumpitur, admixtis mendacijs & criminationibus falsis.

His mala causa utcunq; ad tempus sustentatur, Sed tandem corruit, & suos patronos in præcipitium trahit.

Admiscuit autem suas declamationes, ut malæ causæ adderet colores, & contumelioſæ criminationi quasi pulchrum uestitum circundaret: aſperſit multa, quæ mouerent non unum certamen, ſi in diſputationem adducerentur. Propoſitum illi fuit primum meum libellum, editum de negocio Sacramentario, impetere, alios ſe legiſſe diſſimulat, uel ſaltem obſcuras & incertas quaſdam præbet coniecturas. Itaq; mihi ſatis fuit impetum iniuſta accuſatione & criminatione perſequentis reprimere, atque in autorem remittere emiſſa tela. Cæteros ſi inimici adorientur, ſuo tempore, aduerſus uim iniuſtam, ſubſidium, Chriſto adiuuante, afferetur.

Nunc poſtremo loco ſubiiciam quædam

quædam iudicio Ecclesiæ Dei iudicanda & discutienda ex scriptura Catholica, quàm recte cum regula Christianæ doctrinæ congruant. Plus aliquanto honoris Sacramentis in speciem defert: de usu, usu & dignitate eorum maiori cum reuerentia loquitur, quàm plerique alij, attamen complures pernicioſos errores phanaticorum tegit et pingit, & animos circumducit perplexis labyrinthis.

Caluinus quid de Baptismo doceat.

Rectè docet Sacramenta instituta esse, ut nos ad Christi communionem deducant, adminicula esse & media, quibus uel inseramur in corpus Christi, uel insiti magis coalescamus. Cur igitur infantes natos ex fidelibus parentibus contendit sanctos esse, & membra Ecclesiæ antequàm baptizantur? Si inserunt per baptismũ, & deducunt ad Christi cõmunionẽ, certè ante baptismũ non sunt inserti Ecclesiæ. Si asserit insertos esse, priusquam abluunt baptismo, hy-

dit ambiguo sermone, & ad Christi communionem deduci, & inscribi intelligit de externa coram Ecclesia professione & declaratione, quòd antè inserti nunc externè inseranatur, & quasi adscribantur albo Ecclesiæ. Nam quæ rectius scribit in hanc sententiam, apertius declarant alij, affirmantes, Sacramentis nos uisibiliter inseri consortio Christi & sanctorum eius, cui inuisibiliter quidem per ipsius gratiam inserti fueramus priusquàm Sacramentis participaremus: baptismo non primum exhiberi quod eo significatur, sed adesse prius. Infantes ex sanctis parentibus natos, sanctos esse & salutis participes in utero matris, non primum in baptismo pertinere ad Ecclesiam, sed ante tempora æterna, quo adoptati sint in filios Dei, quæ parodoxa manifestè pugnant cum uerbis Christi, dicentis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Item: Nisi

quis

quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non poteſt intrare in regnum Dei.

Porro ſi uera eſt definitio, Sacramenta eſſe organa, quibus efficaciter agit Deus & ſuam gratiam nobis teſtatur atq; obſignat, cur Sacramentarij negant per baptiſmi lauacrum renaſci homines & peccata dimitti? Cur cæcitatis nos Caluinus arguit, & traducit, perperam nos affigere illis ſalutis fiduciam, & quod ſolius Dei eſt proprium ad illa transferre? Non à nobis ſalus Sacramentis affigitur, Sed ſalutis promiſsio baptiſmo & fidei addita eſt à Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui ait Marci decimoſexto: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Nō transferimus partem aliquam ſalutis ad creaturas, neq; Dei potentiæ & operationi detrahimus, etiamſi perhibeamus Sacramenta eſſe organa ſalutis, quia ſermo eſt de Dei Sacra-

mentis, de Dei promissione, de praesentia Dei operantis per ordinata media, sicut Paulus dicit: Euangelion esse potentiam Dei ad salutem omni credenti. Cum organa Dei appellantur, certè omnis dignitas, virtus & efficacia Sacramẽtorum Deo tribuitur, à quo ut sunt instituta & ordinata, ita ab eo solo habent suam virtutem & dignitatem. Quia vero Deo placuit ea instituere, & virtutem suam in illis exercere, ob hanc causam Sacramentis, ut organis sanctis tribuendi est non adimenda sua virtus. Neq; propterea ministerium nihil est, quia Paulus scribit, ministros nihil esse, & nihil sine Deo plantando & rigando efficere, non ideo Sacramenta ferè in nihilum redigit. Commendat presbyteros propter ministerium, condecorat honorificis nominibus, appellans dispensatores mysteriorum Dei, legatos Christi. Quomodo Sacramẽta nihil sunt,

sunt, aut nihil operantur, cùm à ministerio tam magnificè prædicatores commendentur; quòd sint operarij Dei & ministri per quos homines credunt: Deus Sacramentis & uerbo suo adest, operatur in hominibus fidem & salutem, sunt ergo efficacia ex Dei ordinatione, præsentia, & operatione: & non illorum sed hominum culpa fit, quòd uirtutem suam in incredulis minus exerceant. Parùm scite ergo effectum baptismi aduersarius partim aufert, partim in dubium adducit: tollit quidem, dum scribit, effectum baptismi ad tempus nullum esse, & eâdem emergere: uti liratem quę percipitur ex Sacramentis ad tempus, quo ea nobis administrantur, minimè restringi debere. Quòd ætatis progressu nullam uim baptismi ostendunt, qui infantes sacro fonte abluti sunt, nõ ideo baptismus illorum irritus, & sine ullo effectu fuit. Aliqui in baptismo uerè re-

generati & sanctificati, progredientibus annis neglecti, & non piè instituti recidunt in peccati sordes: multi relabuntur tempore persequutionis, qui cum gaudio acceperunt uerbum Dei. Vis & utilitas baptismi extendit se per totam uitam. Hæc ratio non efficit quò minus prosint Sacramenta eo tempore quo administrantur: non ideo uirtus baptismi, uel in adolescentiam, uel senectutem releganda est, ut adolescentes & senes regenerentur, qui in pueritia non sint renati, cum baptizarentur. Quanto rectius docet Augustinus libro primo, de moribus Catholicæ Ecclesiæ capite trigesimosecundo, sacrosancto lauacro inchoari renouationem noui hominis, ut proficiendo perficiatur, in alijs citius, in alijs tardius. Et libro decimoquarto de Trinitate, capite decimo sexto: Non in uno momento fieri renouationem ipsius conuersionis, sicut

cut momento uno fit illa in baptismo renouatio remissione oim peccatorum. Et quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, quæ febribus facta est, reualescere, ita primam curationem causam remouere languoris, quod per omnium indulgentiam fit peccatorum: secundam, ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis.

Dubium autem facit aduersarius effectum baptismi, quia ad prædestinationem reuocat, quum scriptura nos reuocet ad Verbum & Sacramenta, & per hæc deducat ad prædestinationis & salutis certitudinem, & eos in electorum numerum referat, qui audiunt Christi uocem, promissionibus Euangelij credunt, & in fide perseuerant. Etsi autem stultè faciunt, qui ad nuda tantum signa, & non potius ad promissiones illis annexas respiciunt, & ap-

positè in hanc sententiam allegetur illud Augustini, fieri Sacramentum, cum uerbum accedit ad elementum, cautio tamen adhibenda erat, & ita negandum, nos aquæ, panis et uini materia, Christi ac spiritualium bonorum nequaquam fieri compotes, sed promissione nos ad ipsum deduci, ut fide in nobis habitans impleat quicquid signis offertur, ne diuellatur uerbum seu promissio à Sacramentis, neúe baptismus nihil nisi aqua, & Cœna Domini nihil nisi panis & uinum esse putentur. Nam ab aqua, pane & uino tam non est separandum uerbum, quàm Sacramentum non constat solis elementis, sed etiam uerbo. Quòd Augustinus urget emphasim ac pondus in uerbis Christi, qui dixit Apostolos mundos esse, non propter baptismum, quo loti erant, sed propter uerbum, non eo pertinet, quòd in ea fuerit sententia, baptismum constare sine uerbo, &

negare

negare uoluerit, mundari nos baptismo: sed quia, ut statim subiicit declarationem, uerbum connexum est cum aqua baptismi, & in aqua mundat. Detrahe, inquit, uerbum, & quid est aqua, nisi aqua? Quærit unde sit tanta uirtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente uerbo? Porro fides adhæret uerbo, & ita fide mundantur corda per baptismum. Ideo addit ille, aquæ uirtutem abluere cor, faciente uerbo, non quia dicitur, sed quia creditur. Ac subdit paulo post: Verbo sine dubio, ut mundare possit, consecratur baptismus. Cæterùm tota doctrina de baptismo, Christo dante, aliâs tractabitur accuratius & plenius.

FINIS.

Francofortiexcudebat Petrus Brubacchius, Anno Domini 1555.